

Animadversiones ad Ovidi heroidum epistulas.

Iis, quibus libellum meum 'Ad historiam hexametri latini symbola'¹ et facultas ut perlegerent et otium fuit, non omnino accidere ingratum spero, ut quam ibi omisi promisi que exhibitorum me alibi Ovidianarum heroidum tractationem exhibeam nunc. Res itaque iterum posita in argumento metrico. Effecisse autem hoc mihi videor, ad cognoscendam artem hexametrici poetae unius cuiusque parum valere formarum notitiam insolitarum perque concordiam poetae hic illic simplicem turbantium texturam, sed ipsa textura quomodo et qua arte composita sit inquirendum esse. Respiciendae igitur erant ipsae usitatissimae heroici versus formae quae sunt:

Respondit Iuno | Saturnia sancta dearum (FI)

Expectans | si mussaret | quae denique pausa (FII)

Ingenium | cum nulla | malum | sententia suadet (FIII)

investigandumque frequentiae inter eas quae intercederet ratio. Computatis autem exemplis fructus hic erat negotii sane iniucundi, ut et variam varios scriptores consuetudinem secutos esse et suae quemque quam maxime tenacem fuisse apparet, numeris fere eandem semper portionem servantibus; simul tamen pronos fuisse non paucos in emendationem artis per certos gradus manifestam (e. g. Propertium, Manilium). Porro in forma maxime prima (FI) — ne leviora hic repetam — adprime pedem primum et quartum curavimus, quorum fine finiretur vocabulum accentibus consentientibus metrico atque pedestri; non esse enim ingratham pedum talium formationem dactylicam, (ad hanc notas adplicavimus PPD et PQD), spondiacam molestam (PPS et PQS); et quidem hac quoque in re ut varietatem inter varios, ita singulorum poetarum praeclaram

¹ Dissert. Bonnae 1876, apud M. Cohen et fil.

constantiam deprehendimus, neque tamen minus praeclarum apud multos suae artis perpoliendae studium.

Itaque apud Ovidium demonstratum est (p. 53 sq.) PQS non crebrius quam in sexto quoque usurpari hexametro, at multo saepenumero rarius; occurrebat enim singulos libros recensenti semel in $9\frac{4}{9}$ aut $8\frac{1}{4}$ aut 6 aut $6\frac{1}{5}$ aut $8\frac{1}{5}$ aut $9\frac{1}{8}$ similiterque in reliquis. PPS crebrius quidem quam in quadragesimo quoque versu non usurpatur nisi in carminibus iuvenalibus (Amor. I semel in 32, Amor. III in 29, Art. I in $29\frac{8}{13}$), rarius autem quam in quinquagesimo quoque exstare solet inde demum a Transformationibus una cum libris ultimis aetatis amatoriae (Art. Am. III; Remed.), nunquam in libris prioribus. Porro PPD noluit rarius ponere poeta quam inter $6\frac{5}{6}$ versus semel, sed ita interdum cumulavit ut semel adesset inter 5 vel etiam $4\frac{1}{3}$. PQD fere in duodecimo quoque metro legitur, per nonnullos etiam rarius, per nonnullos paullo frequentius libellos¹.

Hi numeri tenendi de forma I. F II fere aliena ab Ovidio est. At F III semel exstat, ut amatorios libros percurramus, in $9\frac{4}{9}$ vv. aut $12\frac{1}{2}$ aut 14 aut $13\frac{5}{8}$ aut 10 aut $9\frac{7}{8}$ aut $7\frac{1}{4}$ aut $11\frac{1}{2}$; quocum conspirant Transformationes unum exemplum exhibentes circiter inter versus decem, cum in posterioribus carminibus aliquanto haec forma rareseat.

Examinavimus de pedibus primo et quarto dactylicis Ovidi libros fere quindecim, de iisdem spondiacis viginti sex, de F III viginti duos. Plures addere nunc supersedeo; amatoriorum certe ne unus quidem e calculis meis elapsus; cum his autem res nobis est solis et unis; nam sicut Halientica Nasonis non esse dixi, mathematica hac nisus ratione — atque non frustra ei me fidem habuisse causis aliunde ubertim affluentibus fore spero mox ut ostendere possim² — ita de heroidibus quia dubitatur quot tribuendae Ovidio sint quot imitatori, numerorum pariter calculus ponendus videtur instituendaque cum vero Ovidio comparatio; vix enim veri simile, quoniam scriptores plerique numeris inter se differunt, furtum hac ratione non deprehendi. Pertinebunt autem ad comparationem amatoria imprimis illius scripta.

¹ Semel exstat in $11\frac{11}{13}$ vel 14 vel $13\frac{1}{2}$ vel $12\frac{2}{7}$ vel $11\frac{1}{3}$ vel $15\frac{2}{3}$ vel $17\frac{3}{5}$ (Remed.) vel $10\frac{1}{9}$ vel $9\frac{1}{8}$ vel $9\frac{1}{7}$ (Met. IV) vel $10\frac{9}{10}$ (Met. III) vel $9\frac{4}{13}$ (M. VII) vel $12\frac{7}{10}$, $11\frac{1}{3}$, $9\frac{1}{2}$, $9\frac{2}{5}$, 12.

² Dubitantis sunt, non refutantis quae contra scripsit Zingerle (kleine philol. Abhandlungen II p. 120 sqq.)

Heroidum epistulae ad unam et vicesimam perlectae quem non ad languorem dederunt et taedium? Distichorum moles vasta et imposita innumerorum ac simile semper argumentum coloribus semper iisdem retractantium. Idemne hic Ovidius cuius per summa et ima lusus sequi indefessi solebamus? Respirabamus cum Lachmannum¹ resecari iubere videremus omnes praeter novem illas quas sibi ne quis eriperet ipse poeta prohibuit in Amorum l. II el. 18. Atque levamur certe Sapphus tumore²; et haec spuria et obnoxiae admodum dubitationi epistulae reliquae quot Hypermestrae succedunt. Ceterum de epistulis 3. 8. 9. 12. 13. 14 acutius quam verius rem egisse Lachmannum non latuit; bene habent quae contra monuit L. Muller in Mus. Rhen. tom. XVIII; apparetque ex iis quae novis-

¹ Progr. Berol. aestat. 1848.

² Ovidio hanc auctori restituere iterum conatus est Comparetius 'sulla epistola Ovidiana di Saffo a Faone' in 'Publicazioni del instituto di studi superiori in Firenze' II, 1a, 1876. Sed argumentis suis nihil effecit nisi hoc, quod magni sane faciendum est, iam in ipsa antiquitate eam in corpore heroidum Nasonis locum habuisse. (Imitator praeter Epicedion Drusi Ausonius Mos. 129; cf. Tross. ad l.) Quod quomodo explicandum sit infra indicabo. Subditiçiam eam esse, ut metricas nunc mittam rationes, sermo clamat putide inflatus vocumque ac sententiarum iteratarum artificium frequentatum usque ad taedium (nonnulla Eschenburgius castigavit l. l.) Argenteae haec aetatis mollities fereque Neroneae. Eodem tendit vox *se invenire* (v. 113) quam propriam Petronio et Senecae esse observatum est. Item *chelym* (v. 181) poeta Romanus nullus adplicavit ante Senecam (Troad. 330), Silium XI 410, 454, Panegyricum in Pisonem 154 et 242, frequenter Statius. *Gravidas genas* (v. 174) dicere nemo ausus est praeter Epicedii scriptorem ad Liviam v. 116. Inexercitati certe v. 213 et 153 esse sentient periti — neque horum poetarum est *pie* adverbium. Risisset ille haud dubie si legisset *lacerare pectora mora* (212), risisset Phaonem si *dotem silvae* (v. 146) esse, si *ora* loquentis *vigilare* (v. 132) audisset. Puellis Lesbicis in v. 199 inepte adponitur adiectivum *aequoreae* quasi ibi referret eas esse insulanas; plane insolitam hanc adiectivi notionem addidit poeta ex Ovidi Met. XV 753 ubi positum est aptissime (cf. Martial. 13, 21). Item v. 125 *illuc* (velim legas *illis*) *te invenio, quamvis regionibus absis* desumptus ex Met. XII 41 *quamvis regionibus absit*, quippe ubi pluralis *regionibus* proprium suum habeat sensum. Reliquas mitto imitationes plurimas, nisi quod versus Amorum IH 12, 32 variatur in v. 154; Ovidius ni fallor sua verba repetisset. In v. 53 *o vos erroneam tellure remittite nostrum*, ne vocis *erro* audaciam premam, *tellure* tam prave superfluit, ut si hic esset Ovidius, corruptum locum esse dicerem. *Barbitos* (v. 8) aliena ab Ovidio poetisque his omnibus praeter mele Horati (recurrat apud Claudianos). Plura cohibeo.

simus Eschenburgius¹ composuit Lachmanniana argumenta excutiens firmans amplians, vacuum a vitio omni tertiam decimam esse, vacuum et tertiam, exigua tantum culpam posse in Hermiona Deianira Medea, graviora aliquanto in Hypermetra. Verum enim vero numerorum arte perinvestigata similitudinem potius quam diversitatem inter quattuordecim heroidas primores observasse me profiteor neque aemulari eos volo qui strictos semper obelos habent. Ita autem procedam, ut seiungam Sapphus epistolam quam recte Lachmannum propter Erichthum mentionem in v. 139 (cf. quae monimus in adnotatione) temporibus Lucani postposuisse negari nequit; atque quae proximae sunt inter suspiciosas elegiae Paridis Helenae Leandri Herus Aconti Cydippes², sollemnem et aptum epistolae ambitum excedentes et in quibus scribant viri respondeant heroides, cum prorsus contrarium de se et Sabino poeta testetur in Amorum carmine laudato — ab his inquam separabo eas quae supersunt 3. 8. 9. 12. 13. 14. Numeri vero computanti prodibunt hi: semel exstat

Her. 1. 2. 4. 5.	PPS	PPD	PQS	PQD
6. 7. 10. 11: in	$50\frac{1}{4}$ (12 ex.)	$6\frac{2}{5}$ (94)	$9\frac{4}{9}$ (64)	$11\frac{11}{13}$ (51)
Her. 3. 8. 9.				
12. 13. 14: in	$33\frac{1}{2}$ (11)	$5\frac{2}{7}$ (70)	$9\frac{9}{13}$ (38)	$7\frac{2}{3}$ (48)
Her. 15. 16: in	322 (1)	$6\frac{2}{5}$ (50)	$11\frac{1}{2}$ (28)	10 (33)
Her. 17. 18: in	$53\frac{1}{2}$ (4)	$6\frac{1}{9}$ (35)	8 (27)	12 (18)
Her. 19. 20: in	$81\frac{2}{3}$ (3)	$6\frac{1}{8}$ (40)	$8\frac{3}{4}$ (28)	$18\frac{11}{13}$ (13)
Ep. Sapphus: in	37 (3)	10 (11)	$8\frac{1}{2}$ (13)	$12\frac{2}{9}$ (9)

Altera sequatur tabella in qua et de tripartito hexametro agatur (signabitur F III; nam plane F II non obvia praeter Her. 2, 37;

¹ Metrische Untersuchungen über die Echtheit der Her. des Ovid Progr. Lübeck 1874.

² Neque enim decebat editores post ea quae verissime disputavit L. Muellerus postque clarissimum Diltheyi librum aut hanc ultimam epistolam omittere fere totam aut decimam quintam vv. 38—142, quibus deletis etiam male cohaerent sensus; nam v. 143 de forma Helenae aperte incredibile aliquid addere se dicit Paris, itaque incredibile quod antecesserat inest in vv. 135—138; an incredibile hoc, quod legitur v. 36—38, Paridem antequam ipsam oculis viderat per famam nuntium accepisse de eius pulchritudine ideoque iam tunc optavisse Helenam? Contra arte cohaerent inter se vv. 139—146. Excidisse utramque partem ex archetypo librorum optimorum (cf. ed. Merkelii I p. X) certissimum est.

Sappho 113) et de pentametro cuius laeva pars compleatur spondeis ita: *ut tangat portus fessa carina suos* (signabitur P. Sp.) et de eodem spondiaco cuius pes primus uno vocabulo contineatur ita: *celent | furtivos balnea multa iocos* (P. Spp.)¹ et de positione illa adiectivorum et nominum concinna in hexametro bipartito (Pos.) qua differre Tibullum et Panegyrici scriptorem in Messalam dixi Ad hist. hex. lat. symb. p. 50 sq. Semel exstat

	F III	P. Sp.	P. Spp.	Pos.
Her. Ovid: in	9 ⁴ / ₉ vv. (64 ex.)	17 ¹ / ₄ (35)	121 (5)	7 ¹ / ₂ (73)
Her. dubiae: in	8 ⁵ / ₉ (43)	10 (37)	74 (5)	6 (62)
Her. 15. 16: in	80 ¹ / ₂ (4)	6 ¹ / ₅ (52)	53 ² / ₃ (6)	8 ¹ / ₄ (39)
Her. 17. 18: in	23 ⁷ / ₉ (9)	10 ² / ₃ (20)	71 ¹ / ₃ (3)	5 ¹ / ₂ (39)
Her. 19. 20: in	14 ⁴ / ₇ (14)	7 (35)	61 (4)	10 (25)
Sapphus ep: in	10 (11)	27 ¹ / ₂ (4)	110 (1)	4 ² / ₃ (18)

Iam his numeris accurate perpensis cum videris in multis rebus optime cum ipso Nasone concinere Sappho argenteae quae est aetatis — gravior tamen differentia sub PPD, item in ultima columna et sub P. Sp. — id summatum sustinebis consentaneis numeris commendari fortasse, non tamen evinci originem Ovidianam, dissentaneis posse labefactari. Unum vero accedit ab Ovidio prorsus alienum quod exhibet Sappho, dico versum 113:

Postquam se dolor invenit nec pectora plangi,
etenim non solum haec est odiosa forma II, sed in primum eius pedem spondiaca illata vox², id quod non concesserunt sibi nisi scriptores caesurarum neglegentissimi³; atque etiam in F III nusquam legere

¹ Comparantur numeri hi: P. Sp. semel invenitur in Amor. I inter v. 13, II inter 8⁶/₈, III inter 7³/₈, Artis Am. I inter 14³/₄, II inter 12, III inter 10; P. Spp. semel Amor. I in 97¹/₄, II in 67²/₃, III in 145, Art. Am. I in 98, II in 53, III in 81.

² Concedendum quidem est in versu supra adscripto vocem *postquam* ex duabus esse compositam; tamen neque hanc neque *etsi quodsi* similia primo pedi in F II dabant elegantiores.

³ PPS in F II memineris occurrere in exordio illo Annalium Taciti quod pro metro solet venditari, *Urbem Romam a principio reges habuere*. — Ceterum etiam vv. 83 et 173 Sapphus inclinant ad F II. Bene insuper notaverunt elisionem in v. 96 *verum ut amare sinas* alienam ab Ovidio. Observare iuvat etiam hoc: post quartum trochaeum hexametrum incidebat Ovidius semel fere inter 18 versus (epp. ex Ponto IV; cf. Ad hist. hexam. lat. symb. p. 56) vel inter 14¹/₄ (ex Ponto I) vel inter 29¹/₂ (Trist. I) vel inter 17 (Met. VII), in Heroidibus 1. 2. 4. 5. 6. 7. 10. 11 inter 17¹/₃, in Heroid. 3. 8. 9. 12. 13. 14 inter 11¹/₇, et quidem tantum casus valebat ut in Phyllide nullum poneretur exemplum,

me memini PPS per totum Ovidium praeter Epistulas ex Ponto (IV, 9, 99), quarum universam artem laxiorem esse constat inter omnes. Qua de causa falsus est L. Muellerus (de re metr. p. 254; cf. p. 338) versum Metamorph. XV 600 hunc:

Nemo mihi est; vos urbe virum prohibete Quirites
incipiendum esse existumans *Nemo mist*¹. Atqui idem vitium deprehendimus etiam in Cydippes epistula (v. 55):

Dicam nunc solitoque tibi me decipe more.

Sed ut ab epistulis 15 et 16 argumentari exordiar, statim percepisti duplicis incisionis eas eo usque egere², ut Ovidium cogitare prorsus ridiculum sit; quartum autem pedem ea ornatum praebent elegantia qua facile vincitur totus Ovidius, primum ea qua egregie vincitur saltem iuvenis — et quidem multo etiam admirabilior elegantia haec in F I propter ipsam duplicis incisionis raritatem. Contra in pentametro ipso Nasone ars rudior est. Iam vero quoniam Paridem et Helenam abiecimus, sequentia non est cur velis tenere; immo non poteris generis et argumenti inter senas litteras ultimas similitudinem reputaus. Atque dissuadet etiam de Ovidio numerus sub PQD enotatus ex epp. 19. 20, dissuadet in epp. 17 et 18 amor semiquinariae caesurae scilicet tantus quantum Tomis demum recepit poeta; dissuadet in 19 et 20 numerus sub PPS adscriptus a iuvene alienus atque pentameter nimis neglectus.

Reliquarum omnium ut inventio una est et eadem desertas ab amico puellas exhibentium, ita metricam quoque artem³ veram Ovidianam evasisse vides, comparatis reliquis scriptis amatoriiis: fingi autem ut facile potest adnexa imitatorum opera Ovidianis esse, ita quam propter causam ea illi interposuerint in tertium locum et nonum et decimum non in expedito tibi explicatio erit; igitur donec graviora quis fulmina moliat, inconcussam earum

in Deianira unum inter 8 vv. At Sapphus scriptor ita artem emollivit ut quinquens deciens post quartum trochaeum frangeretur sermo, hoc est semel in $5\frac{3}{5}$ vv. Et animum advertas ad versus duos confines inter se pessime clausulam adplicari eandem, v. 133: *narrare | sed omnia fiunt*, et 135: *ostendit | et omnia secum*.

¹ Ceterum vide quae contra dixit Eschenburgius in Observationibus in Propertium p. 22.

² Probatur hac duplicis incisionis infrequentia aequae ad ep. 15 et ad 16 pertinente, bene in calculo nostro copulari Helenam cum Paride, Hero cum Leandro, cum Acontio Cydippen.

fidem stare existumo cohibeoque dubitationes. Nam de Hyper-
mestra infra disseram. Ceterum notabiles sane sunt versus hi: ¹

Castori Amyclaeo et Amyclaeo Polluci (8,71)

Forsitan et pulsa Aetolide Deianira (9,131)

Semivir occubuit in letifero Eueno (9,141)

Compressos utinam Symplegades elisissent (12,121);

Sed enim versus hos graecis omnes vocabulis refertos vides, tales-
que quoniam legem frangere amant, recte Muellerus² otiosum esse
dixit legem quaerere inter exceptiones. An imaginari potes quo
iure Ovidio exemplum tertio loco exscriptum magis iucundum fuisset
si non *in*, sed potius *aut* vel *et* excepisset vocem *occubuit*? Uni-
cum hiatus exemplum apud Tibullum hoc est (I, 5, 33):

Et tantum venerata virum, hunc sedula curet;

unicum abiectae s finalis apud Catullum exemplum in c. 116 v. 8;
itaque Ovidium cur non sumemus evitasse postea quae primis suis
carminibus adplicare non dubitaverit? Nonne prorsus eadem
ratione accidit ut quam heroici versus formam numero II notavi-
mus non exhiberet Ovidius (Transformationibus exceptis et Fastis
epicis) nisi in primae iuventutis carminibus Heroid. 2 (v. 37),
Amor. III 1 (v. 25) et III 7 (v. 53)?³ — Itaque satis erit conces-
sisse scriptorem Amorum cum enumeraret Heroidas suas elegisse ter-
siores: id enim aliquatenus tabellae quoque nostrae confirmare videntur.

Sed largiar hoc arbitrio opinionis. Hoc alterum monuisse
contentus sum. Languorem movere diximus et taedium vastam
illam molem epistularum profluentium cursu fere interminato cum

¹ Versus autem 9, 133: *Eurytidosque Ioles et insanii Alcidae*
aperte corruptus est; vix recte tamen coniecerunt viri docti *atque Aonii*
vel *atque Inachii Alcidae*; primum enim patet non *et* sed sequentem
tantummodo vocem requirere medelam; praeterea quia *Alcidae* gentile
nomen est, respondens id voci *Eurytidos*, proprium Herculis nomen
neque vero gentile latere sub *insanii* necesse est. Scriptum fuerit for-
sitan: *et semidei Alcidae*.

² Mus. Rhen. XVIII p. 87: Es bedarf wohl kaum der Erwähnung,
dass bei den so gar wenig zahlreichen Beispielen der in Rede stehen-
den Lizenzen diese mühsam verclausulirten Gesetze schon an sich auf
schwachen Füßen stehen.

³ Memorabilem hunc quoque versum esse putavit Eschenburgius
(l. l. p. 17): *Hoc illic Medea fui, nova nupta quod hic est* (Her. 12, 25),
qui tribus monosyllabis vocalis finiretur; sed *vocula est* cum antece-
denti coalescere solet verbo, quae hoc loco eo firmior iunctura est quia
hic dictum est pro *hice*. Neque igitur vituperandus versus Trist. V
4, 5: *nec qua signabor ad os est*.

alteram semper altera sine pausa exciperet. Cur quaeso Ovidius epistulas ex Ponto pariter uno omnes tractu legi noluit? Tristium cur non unum librum tenemus sed quinque? Transformationum scis artissime inter se cohaerere argumenta: sed non placuit tamen poetae uno ore profundere omnia; immo non aptius interdum fabulam suam in partes multas divellit quam qui nostro tempore per immensa volumina pedestres amores trahunt. Sed non solum dispositas per libros habemus Ovidi elegias cunctas, sed etiam ambitus horum librorum — sive Amores adis, sive Artem Amatoriam, sive Remedia, sive Tristia, Fastos, Epistulas ex Ponto — fixus pariter ubique est ita ut fluctuet inter distichorum numeros 350 et 450; medius igitur numerus 400, et prorsus idem ambitus librorum Transformationum est fluctuantium inter numeros 680 et 880 versuum¹.

Hanc igitur quam Sosis debuit rationem² tueri postulamus poetam etiam in Heroidibus. Atqui — ut Sappho amissae medium numerum 75 distichorum tribuamus — novem quas ipse sibi vindicat Ovidius epistulae disticha continent 693; itaque plures libri constituendi.

Iam iterum velim inspiciamus testimonium illud in Amoribus quod legitur: nempe hunc ordinem poeta sequitur et in suis enumerandis epistulis et in iis quas Sabinus rescriperat:

¹ Ibis quod 320 tantum disticha habet, Callimachum culpaverim. Item Epistula ad Augustum quae Tristium libri secundi loco est distichis iam 289 argumentum suum explevit. Mira autem res de Metam. libris XII et XIII; qui coniuncti quidem 1589 vv. continent, unde utriusque sollemnis numerus 794 dari potuisset; sed maligne hoc uno loco argumenti continuitas repugnabat dividenti, ita ut aut libro XII 1019 versus (usque ad armorum iudicii finem), libro XIII 570 adscribere deberet aut illi 622, huic 967; vides praetulisse eum partitionem aequabiliorem.

² Vix est quod adnotem similem librorum ambitum observasse etiam reliquos poetas epicos constantia eadem; pares inter se etiam Silvarum Stati libri; Bucolica Maronis adaequant libros Aeneidis; minoribus quidem Georgica voluminibus comprehendebantur, sed obtinet versuum in iis numeros fere 540. In Propertio veram esse Lachmannianam librorum partitionem confido; atque ultimi libri tres optime inter se conveniunt numeris distichorum 504 (III) 495 (IV) 476 (V); itaque volumen secundum cuius nunc non plus 177 sunt disticha, maxima ex parte interiisse certus sum, scilicet fere tertias duas. Ideo in quattuor volumina Propertium contraxere librarii. (Deperdita Properti carmina esse Muellerus quoque dicit in ed. p. 118.) Primum librum qui 354 tantum tenet disticha, alius artis esse demonstravi Ad histor. h. l. s. p. 31 sqq. Lucanus librum X Pharsaliae vereor ne incepturus fuerit ab IX v. 950.

Ovidi: Penelope (I)	Sabini: Penelope (I)
Phyllis (II)	Phaedra (IV)
Oenone (V)	Dido (VII)
Canace (XI)	Phyllis (II)
Hypsipyle (VI)	Hypsipyle (VI)
Ariadne (X)	Sappho
Phaedra (IV)	
Dido (VII)	
Sappho	

Itaque salva libertate poetae dicendum est quoniam nostra collectio Heroidum consentit, ipsam suam editionem secutum Ovidium Penelopae utrobique primum locum dedisse, Phyllidi semel secundum. Ideo ubi in ep. ex Ponto IV, 16, 18 in mentionem iterum incidit epistularum Sabini, uno nomine contentus ipsam itidem Penelopen adponit; nimirum prima haec oculis occurrebat volumine evoluta. Iam vero Sappho in utraque columna ultima; sequitur — nisi nihili facis similitudinem veri — ut etiam in ipsa Heroidum collectione ultimum locum Sappho tenuerit; ac propterea quia ultima fuit, sola et una intercidit et ab alio suppleta est. Posita igitur erat aut post Canacem (XI), si Lachmannum sequaris, aut post Hypermestram (XIV); nos autem quam lectitamus Sappho revera post ep. XIV conlocata est vel erat¹, teste codice illo Parisino saeculi XIII qui excerpta ex ea (v. 31. 32. 33. 34. 195. 196) hoc loco (inter Hypermestram et Paridem) posita exhibet². Quam si simile veri est olim amissae succrevisse, vides quid concludendum sit. Iam ut ex novem illis indubitatis epistulis libri duo constituentur, alterum accipis distichorum 299 (ep. I. II. IV. V), alterum distichorum 394 (reliquae cum Sapphus 75 dist.) — aut alter 381 continebit (I. II. IV. V. VI), alter 312 (reliquae). Videne medius numerus 400 distichorum quam male servetur? Modo decimum quintum locum Sappho Ovidianae concedas, iucundissime

¹ Neque casu ac divinando hunc ei locum datum esse a priscis editoribus crediderim; ita Heinsius: 'Sapphus ad Ph. epistula in nullis Her. Ovid. exemplaribus nisi recentissimis apparet neque hoc loco (ante Paridem), sed *ut plurimum* reiecta in calcem operis'.

² Docuit hoc Schneidewinus in Mus. Rhen. IV p. 144, firmavit Comparetius p. 24, qui Vincentium quoque Bellovacensem in Speculo Historiali (annis 1244—1254) addidit Sapphus nostrae versus 196 ita excerpisse ut inter Hypermestram et Paridem locum haberet. Eadem sedes num etiam Parisino illo libro saeculi XII firmaretur (excutitur in Mus. Rhen. tom. XXV) Sapphus versus 31—34. 65. 66. 72. 83 exhibente, dicere omisit V. D.

numeri convenient; scilicet quindecim. Heroides tres libros efficiunt quorum unus quisque tenet quinas; et quidem primus liber (ep. I—V) 376 disticha amplectitur, secundus (VI—X) 399, tertius (XI—XIV et Sappho) 394: nimirum etiam Amores et Artem Amandi per tres libros disposuit Ovidius; ita ut idem Heroidas suas enumerans certa progressionem quattuor ex primo libro, tres ex secundo, duas ex tertio elegisse videatur.

Et speciem maiorem veri in hac partitione esse si concedis, contentus sum; ipsum hoc autem, adfuisse aliquam olim partitionem qualemcunque non video cur non affirmes tu quoque. Facillimum certe explicatum habet inscriptiones librorum cur iam in ipsa (ut videtur) antiquitate abolitae sint: interierat Sappho ultima ultimi libri elegia; suppleta a recentiore poeta est¹; simul fere subnectebantur ampla illa poemata ex Ovidianis primi saeculi officinis affluentia; horum igitur disticha non minus 781 quia nimirum omnis partitionis expertia erant, necessario ex priore quoque parte collectionis amoribus redundantis evanescebant prisci trium vel duorum librorum indices. Moneamur etiam de saturis Iuvenalis; enumerari enim hae solent sine incisione a prima usque ad decimam sextam; at per libros eas disposuit poeta ipse teste Pithoeano maxime codice; notae itaque librorum in plerisque interierunt manuscriptis. Nescio autem num adminiculi aliquid, quamvis parvi molimenti esse dicas, addere propositioni meae liceat ex inscriptione codicis Parisini 7997 saeculi XV exeuntis vel XVI quam enotatam inveniō a Diltheyo (Cydippes p. 135); possunt enim nata esse talia ex facili librariorum errore similia confundentium; posse tamen etiam recentioribus manuscriptis raras notitias deberi exempla non desunt; et quidem ipse hic Parisinus eo praeclarus est, quod solus fere praeter Laurentianum unum (apud Dilt. n. III) et editiones servavit nobis rarissimos versus qui sunt epist. Cydippes 13—144, antiquitus nimirum eos ad Heroidum collectionem pertinentes, ita ut hoc certe exhibeat vestigium archetypi Heroidum vetustissimis vetustius manuscriptis. Inscriptum autem epistulis in eo esse testatur Diltheyus ex conlatione Holderi *epistolarum libri III* (sic).

Denique si quis accuratius inquiret imitatores cur harum potissimum epistularum exstiterint, imitatoribus enim epistulas certe

¹ Duo in antiquitate Heroidum exemplaria fuisse statuerim quorum in alterum quidem receptum hoc fuerit supplementum, in alterum non receptum, atque ex altero hoc codices nostros fluxisse ad unum omnes qui Paridem quinto decimo loco exhibent omissa Sapphone. An faciliorem habes lacunae istius explicatum?

16—21 adscripsimus, *adeundus erit* ni fallor locus Persi qui exstat Sat. I v. 30 sqq.:

Ecce inter pocula quaerunt

Romulidae saturi, quid dia poemata narrent.

Hic aliquis cui circa umeros hyacinthia laena est,

Rancidulum quiddam balba de nare locutus,

Phyllidas Hypsipylas vatium et plorabile si quid

Eliquat ac tenero subplantat verba palato.

Adsensere viri; nunc non cinis ille poetae

Felix?

Quem locum non satis excussisse mihi videntur interpretes. Verbis enim *vatum et plorabile si quid* probatur firmiter non sua carmina eliquare recitorem sed aliorum vatium; idque commendatur etiam cineris mentione et tumuli poetam tunc mortuum quae indicat (quamquam in v. 36 quia *nascentur* subsequitur vix dubium est *imprimet* Persium scripsisse, non *imprimit*). Ita enim sensus coeunt inter versum 13 et 44 ut risu Socratico dicatur: operae sane pretium est carmina componere et recitare effeminatis istis Quiritibus; nam pulchrum est (v. 28) monstrari digito, aequè pulchrum edisci a cirratorum caterva: quippe talia nunc fata carminum sunt, veluti homullus ille qui Phyllidas Hypsipylas veri vatis¹ carmina edidicit, has lacrimis dignas inter pocula declamat convivis laudantibus ebriosis; videsne quam felix cinis ille poetae habendus² quantoque studio quaerendum sit ut in huius populi (v. 42) ore poemata etiam nostra versentur? — Quodsi hunc locum recte interpretati sumus, satis probabile videbitur indicari eo plorabiles illas Heroidas Nasonis concludeturque et in scholis tunc eas dictatas fuisse et amatas in convivii earumque tunc potissimum exstitisse imitatores. Hoc igitur sensu accipio quod Jahnius dicit ad locum: videntur autem Persii tempore talia argumenta studiose tractasse poetae³.

¹ *Rancidulum* enim perversus omnino Heinrichus est de carmine taedium pariente interpretans; tum enim *loquens* legeremus, non *locutus*; neque carmen est quod balba de nare recitatur, sed potius trita quaedam et sollemnia verba quibus oportebat praefari hominem antequam elegiam ore eliquaret et palato subplantaret.

² Non proprium sententiae huic Casaubonus intulit sensum referens: An non iustam hic poeta causam habet cur certam fiduciam concipiat de fama nominis sui etiam ultra cineres ac post obitum mansura?

³ Neque illius saeculi imitatores Heroidum frustra quaerentur velut

Iam vero accedamus ad epistolam XIV quae Hypermestrae est ad Lynceum. Nam haec prae ceteris eo usque viris doctis non paucis displicebat ut indignam Ovidio dicerent. Haec verba L. Muellera (de re metr. p. 46): 'nec hercule quisquam libellum de Hypermestra Nasone ac sano homine putabit dignum'; similiter idem in Mus. Rhen. XVIII p. 87: 'der unsinnigste von allen, der Brief der Hyp.' Causas non addidit. Castigator egregius existit non huius tantum, sed heroidum fere uniuscuiusque Lehrsii (ed. Horat. p. CCXXII sqq.) qui cum Lachmannus in metrica arte loquendique usu observandis se continuisset, contra argumenta potius ac sententiarum nexum coloresque poeticos ad sanum iudicium sensumque communem revocavit. Quoniam vero quae pro certo sua esse Ovidius ipse testatur aequae turbare atque incerta non dubitavit, criminationes eius argutiasque refutare singillatim nemo potuit suscipere. Saepenumero ludit clarissimus vir, non disputat. Evicisse eum his de carminibus magis etiam quam de Flacco confidimus hoc tantum, peccare potuisse etiam quos dicere solemus classicos scriptores. Atque ne quis cum absurdi quid indagaverit Ovidi statim interpolatorem odoretur, quasi apotropaeon proponatur epistula Ariadnes Ovidi opus indubitatum neque aliarum ineptiarum indigens et in quo puella ridicule insana scribere fingitur in ipsis desertis neque indicatur unde chartam sumpserit neque quomodo ad Theseum sub oculis illius per altum aufugientem per-

ex Deianira sumpti sunt versus elegiae in Maecen. I 69—86 (v. 81 sq. = Ov. 85 sq.; v. 83 = Ov. 95 sq.; v. 84 = Ov. 67 et 89 sq.; v. 85 sq. = Ov. 91 sq.; v. 75 sq. = Ov. 79 sq.; v. 79 sq. = Ov. 117 sq.; v. 73 = Ov. 77; v. 69 = Ov. 75; in v. 78 cur non restituerunt vv. dd.: *Lydia te tunicas iussit lasciva fluentes Inter lamifcas ducere, saeve, suas?* Saevus enim Hercules ad Lydiam venerat, additurque statim saevitiam eius, hoc est clavam atque pellem nunc iacere). Nam cuinam tempore illam elegiam tribuerem, indicavi Ad hist. hex. l. s. p. 66 sqq.; atque emendare ibi nolui eleg. Maec. v. 21, qui ita fere in optimis libris: *Quod discinctus eras animo quoque carpitur unum; Diluuii* (vel *Dilluuii* vel *Dilluuii*) *hoc nimia simplicitate tua.* In Heinsii proposito: *namque id prope carpitur unum; Diluitur nimia simpl. tua non nimia hercle est species veri; latere certus sum hoc potius: Quod discinctus eras animo, prope carpitur unum: Dilutum hoc nimia simplicitate tua; nam prope et quoque frequenter confuderunt librarii.* Atque iam clarius vides respici a poeta Senecam qui in epist. 114 Maecenatem dixerat discinctum *moribus.* Addo quod in v. 19 comparatur idem cum beryllo, etiam hoc sollemne fuisse videri, quoniam Augustus quoque in epistula eum vocavit 'adamas Supernas, Tiberinum margaritum, Cilniorum smaragde, berulle Porsennae' (Macrob. II 4, 12).

venire charta possit¹. Ordo autem sententiarum quod vagus inter-
 dum videtur, hoc bene quadrat in Ovidium auctorem, siquidem in
 ludo rhetorum ista carmina lusisse eum consentaneum est; nam
 similiter ipse Seneca pater de eo iudicium tulit Controv. II 2 (10) 9:
 ‘Hanc certe controversiam . . . declamavit (Ovidius) ut mihi vide-
 batur longe ingeniosius, excepto eo, quod sine certo ordine per locos
 discurrebat’ (discurrerat codd.). — Iam qui in ep. XIV maxime
 incommodus est de Io vagante excursus infra ni fallor suum acci-
 piet explicatum². Ceterum quaestiones istas seponimus curae sub-
 tiliori; id enim agimus ut argumentum Hypermetrae quo ex fonte
 haustum fuerit accuratius perquiramus.

Heroidum omnium argumenta unde desumpta sint mirum est
 singillatim distincteque indicare voluisse neminem; circumferri solent
 talia qualia Riesius exhibet ed. Ov. I p. IX sq., in quibus memo-
 rabilis haec maxime sententia, cui tamen rationes non addidit v. d.
 ‘legisse Ovidium aliquanto pauciora quam Alexandrinorum imita-
 tores’. An parum intricata res videbatur tacentibus? Et patet
 certe Dido Maronis Aeneidi deberi; similiter in Briseide Penelope-
 que Homerum cogitabimus; neque Ariadnen qui legit non statim
 Nuptiarum Catulli reminiscetur.³ Item ad Phyllidem incitatus Naso
 videbitur a poeta epico, scilicet aut a Tusci Phyllide quam ante-
 cessisse heroidibus parvulo certe temporis spatio probavit Kiesslin-
 gius (plura de hac re infra legentur) aut ab ipso Callimacho⁴.

¹ Similis licentia e. g. in Metam. IV 154 sqq.

² Nolo omittere quae aptissime Riesius scripsit (ed. Ov. I p. X):
 ‘Nobis quoque delere quaedam atque adeo totam ep. XIV saepe in animo
 fuit: sed ubi accuratius inspexi, nec causas certissimas inveni nec mo-
 dum servari posse intellexi quin plurima fere ‘inepta’ haberentur’.

³ De Dido et Ariadna cf. Zingerle Ovid und sein Verhältniss etc.
 II p. 54. I p. 50.

⁴ Nam Callimachi cum supersit fragmentum hoc (505 Schn.):
Νύμφει Δημοφῶν ἄδικε ξένη, licet Schneiderus dubitet, tamen veri si-
 millimum dico narrata ab illo fuisse Phyllidis fata, et quidem in ipsi-
 bus Aitiis. Memor huius versus inter Romanos scriptor Culicis fuit nisi
 fallor, cum miro modo atque abrupte exclamaret (v. 133): *Perfide*
Demophoon et non deslende puellis. Ad eandem Callimachi elegiam cum
 aliqua certe specie rettulerunt fragmentum adespoton (Schneider. 79):
τῆς δ' ὀλοφυρομένης ἀμφ' ἀχνύει βεταί αἰών. possis etiam alia ut frg.
 anon. Schn. 11. Itaque Aitia adisse crediderim et Tuscum et Fasto-
 rum scriptorem; aliunde enim explicari posse hunc tantum apud
 Romanos Phyllidis amorem despero.

Incertae originis Oenone¹, incertioris etiam Sappho². Restant praeter Hypermestram Phaedra Hypsipyle Hermione Deianira Canace Medea Laodamia. Vides has omnes fabulas esse tragicas

¹ Fabulae huius inter poetas patronum nescimus praeter Nicandrum eundem quem in Transformationibus quoque respexisse Ovidium credendum est; et quidem apud Parthenium (cp. 4) legitur *Νίκ. ἐν τῷ περὶ ποιητῶν*. Sed in inscriptionem hanc argumentum ipsum de amore Paridis Oenonesque parum quadrare neglexit quidem Schneiderus (Nicandri p. 27 sq.), dixit Bergkiius (Z. f. A. W. 1845 p. 377) non sine Iahni adprobatione (Archaeol. Beitr. p. 330). Tamen lectio a Bergkio proposita *ἐν τῷ ἰ περιπετειῶν* improbanda videtur quandoquidem huius Nicandrei operis argumentum non poeticum, sed historicum fuisse colligendum est ex Athen. XIII p. 606 c; neque constat omnino auctorem eius ipsum illum poetam Nicandrum fuisse. Fortasse legendum: *ἐν τῷ περὶ ποιμένων*, nam catalogum suum librorum Nicandreorum non plenum esse Suidas ipse indicat verbis: *καὶ ἄλλα πλεῖστα ἐπικῶς*. Nonne Daphnidis Daphnidisque sodalium fata in conspectum unum componere ingenium bene decebat Alexandrinum? Paris autem et ipse pastor est dum amat Oenonen.

² De ea tamen quam nunc legimus suspicioni indulgere liceat quamvis dubiae. Sagaciter enim Comparettius (l. l. p. 52) perspexit quod in v. 162 Naias inducitur interloquens, hoc ex consuetudine esse Alexandrinorum poetarum scilicet ut numen aliquod interveniret argumentum explicans interpretansve ritus et sacra (cf. Diltheyi Cyd. p. 15 adn. 2); itaque exprimi statuit carmen Alexandrini alicuius qui populares Lesbiorum de Sappho fabulas collegerit; talibus enim fabulis rectissime contendit primum eam coniunctam esse cum Phaone. Atque quae de saltu Deucalionis amatorio leguntur v. 167 sqq. ignota ea scriptoribus antiquis omnibus, facile credas et ipsa una cum saltu poetriae Lesbi solita esse circumferri quippe ubi nomen Pyrrhae datum fuerit et oppido et monti: talia colligere Alexandrinae doctrinae bene conveniebat; bene item quo floret epistula litterarum historiae studium. Non autem absurdum dices, usque dum probabiliora proferantur, cogitare de opere eodem in quo et Cydippes amorem legebant Romani et ut videtur Phyllidis. Nam non de omnibus *Ἀιτίων* argumentis certo constare ne Schneiderus quidem negavit (Call. II p. 374). Certe in hoc maxime opus theophanias quadrare Ovidianorum Factorum probatur exemplo. *Ἀιτιολογικόν* aliquid facilius etiam hic quam in Cydippa indagabis: memor sis *ἐν τῷ περὶ ἁγῶνων* Callimachum memoravisse *Ἄκτια* (cf. Schneider. II p. 58); atqui Actii templum fuit Veneris a Phaone Lesbio, ut comici perhibebant, conditum (Servius Verg. A. III 280). Aliam viam monstravit Diltheyus (Cyd. p. 118 adn. 1) narrationem de poetria lyram Apollini vovente inventam propterea dicens, quod in Mitylenaeo Apollinis templo lyra ut Sapphus asservaretur atque monstraretur visentibus; honorata enim ibi pariter fuerat atque apud Chios Homerus (Aristot. Rhetor. II 23), arteque eam cum Apolline coniunctam fuisse ex epistulae colligas versibus 181 et 184. Ideo cum Phaone quo-

quaeque optime respondeant Euripideis Hippolyto Hypsipylae (nam Aeschyleam fabulam vix cogitabis) Aeolo Medeae Protesilao, Sophocleis Hermionae ac Trachiniensibus. Solent igitur affirmare qui in tragoediis graecis deperditis versantur, graeca illa exempla revera Nasonem expressisse utunturque heroidibus confidenter ubi restituendis tragicis argumentis adumbrandisque imaginibus fabularum ingenium exercent.

Coniectura haec est; sed non video cur ei diffidamus. Is enim qui ipse tragoediam scripsit Medeam, cumulatam eam laudibus posteriorum, necesse erat exemplaria tragica manu versaret; neque enim ad tale ausum sufficiebant mythographi. Valde ei placuisse cothurnum colligere licet ex Amor. II 18 et III 1; ideo Sophoclis carmina numquam fore ubi non legantur affirmat Amor. I 15, 15. Neque tragoediarum seriem plus viginti nomina complectentem quam proponit Trist. II 383 — 408 ex mero catalogo desumpsit, quoniam singularum simul argumenta illustrat amatoria; recurrunt autem hoc loco praeter ipsam Medeam Hermione ac Deianira, Protesilaus simul et Aeolus et Hippolytus. Itaque qui in Transformationes quoque suas poetam ex tragoedia graeca non pauca intexisse agnoverunt, non erat cur de Hygino cogitarent quasi is idem dedisset Ovidio quod Gallo suo Parthenius. — Denique ipsum hoc heroidum opus cur adolescens 'novaverit' (Art. Am. III 346), expedite explicabis ex tragoediae amore adprime Euripideae; namque et haec et illae artem quam maxime sapient suasoriarum 'quas libentius dicebat Naso' (Seneca contr. II 2 (10) 12). Itaque egens ille plausoris cum plausorem minime egere tragique coniungebatur cumque Leucadia Apollinea; ideo exsculpebatur in monetis; ideo denique posita est inter 'heroidas'. Atque ne ista quod scribo ex arena funem facere videar, adeas velim quae leguntur in appendice huius disputationis. — Denique Ovidium ipsum quoque Callimacho usum fuisse quominus statuamus, nihil dico obstare. Perverse enim in Sapphus v. 169 Naugerio obsequi solent scribentes: *Nec mora, versus amor fugit lentissima mersi Pectora, Deucalion igne levatus erat*: qua in lectione molesta inest tautologia, *lentissima* sensu caret, sensu caret etiam *versus* (nam amor hic non vertitur, sed cessat), denique supervacaneum prorsus est nomen *Deucalion*. Egregie codices: *Nec mora, versus (iussus enim aperte corruptum) amor tetigit lentissima Pyrrhae Pectora, Deucalion igne levatus erat*. Pyrrhae opponitur Deucalion, *lentus* quid sit docemur versu 210. Itaque Sappho et ipsa postquam desiluit liberatur amore qui lentissima simul tangit pectora Phaonis; post saltum igitur votam Phoebos lyram Lesbibus datura est iam non amans, at vero amata (Amor. II 18, 34) cuius amoris testem ei adesse Sabinus finxit ipsius Phaonis epistulam.

oediarum videret, novam tragoediis minusque severam formam indagavit et eam qua poeta revera 'ethicus' (Seneca l. l.) mores animi commode posset notare. Atque ipsam quoque δέλιον nonne frequentissime apud tragicos eosdem adplicatam legerat? modo memor sis Hippolyti utriusque — contra ab epicis ea fere aliena.

Atque his si fidem non habes quasi praeiudicatis, praesto sunt ipsae fabulae atticae Medea Hippolytus Trachinienses. Itaque non opus est coniecturis. Accuratori enim earum cum epistulis comparationi si vacaveris, aut egregie fallor aut deprompsisse intelleges Latinum ex graecis exemplaribus et sensus et colores tam multos ut haec ipsa illum curiosissime legisse omnino desistas dubitare.

Atque Medea digna animosa femina cui et Minois cedat et uxor Herculis. Supplicis tamen sunt quae scribit atque sperantis precibus suis fore ut viri amor revivescat; ne dum caedem infantium molitur, sed ultimo demum versu 'nescio quid certe mens mea maius agit' promittit tragoediam. Tamen non solum ex prologo sed ex tota Euripidis fabula multa inferre poeta non dubitavit.

Atque iam ipsius prooemii Euripidei memor fuit Ovidius cum in vv. 7—9 Medeam exclamantem faceret: *Cur unquam Phriseam petiit Pelias arbor ovem? cur unquam Colchi vidimus Argo? Εἴθ' ἄρα λ' Ἀργοῦς μὴ διαπύσθαι σκάφος Κόλχων ἐς αἶαν κτανέας Συμπληγάδας μὴδ' ἐν νόπαισι Πηλίου πρῶσιν ποτε τιμηθεῖσαι πέικη.* Et quidem *iuvenalibus acta lacertis* Argo vellus petiit: *μηδ' ἐρετυῶσαι χέρας ἀνδρῶν ἀριστων, οἱ τὸ πάγχρυσον δέρος Πελλία μετήλθον,* ceterum *Συμπληγάδας* Ovidius versui 121 sententiaeque aliquatenus mutatae reservavit.

Et veram quidem hanc imitationem esse sensit iam Branuius, qui cum Senecae Medeam tractaret (Mus. Rhen. XXXII p. 73) ea nisus verba haec scripsit: 'Euripides, der übrigens jenem (dem Ovid) bei Abfassung von ep. XII vor Augen schwebte'. Plura tamen ille non attulit excepto hoc: 'und die Haltung der Amme und des Paedagogen (vgl. bes. 65 f. 80 f. 187) giebt Ovid 145 f. wieder: *Diversi*¹ flebant servi lacrimasque tegebant: Quis vellet tanti nuntius esse mali?' Atqui imitatio non minus aperta in laborum Iasonis descriptione (apud Eur. 476 sqq.), quam bis Ovidius exhibet et v. 39 sqq. ubi lex dicitur (*πεμφοθέντα*) Iasoni et v. 93 sqq. ubi puella auxiliatur (*ἔσωσά σε*). Conferantur inter se

¹ *Diversi* idem quod *dubii, trepidantes*, cf. Panegy. in Messalam v. 45, Stati Achill. I 200, Verg. A. IX 414 (cf. 416).

περίφθέντα ταύρων πυρπνώνων ἐπι-
στάτην ζεύγλαισι

καὶ σπεροῦντα θανάσιμον γύην

δράκοντα δ', ὃς πάγχυρον ἀμπέ-
λων δέρας σπείραις ἔσσιζε πολυ-
πλόκοις ἕσπνος ὦν

dicitur lex ut dura insolito pre-
meres vomere colla boum . . .
quorum spiritus ignis erat

semina populos genitura spargere
lata per arva

lumina custodis succumbere ne-
scia somno

insopor ecce vigil squamis crepi-
tantibus horrens (cf. v. 60 per-
vigil anguis).

Inde a versu 51 id exsequitur Ovidius quod in prologo Euripidis indicatur verbis (v. 13): *αὐτὴ τε πάντα ξυμμέροσ' Ἰάσων*. Verba v. 53: *Quam tibi tunc longe regnum dotale Creusae. Et socer et magni nata Creontis erat adsonant ad Eur. 18: γάμοις Ἰάσων βασιλικοῖς ἐνάξεται γήμας Κρέοντος παῖδ' ὃς αἰσυμνᾶ χθορός*. Ducit scilicet Creusam Iason et propter dotis opes et propter regnum (Ovidi v. 103), quod idem frequenter apud Euripidem et expresse dicitur v. 18, 594, 561, 611, 739 sq. Nam pauper ei visa Medea est (Ov. 106) vel praeponebat Creusam Medae quia *πένητα φεύγει πᾶς τις ἐκποδῶν φίλος* (Eur. 561). Atque etiam respuit eam quasi barbaram et Ov. 105 et Eur. 591 sq. (cf. 256).

Iam vero ita queritur mulier (Ov. 109—112): *Proditus est genitor, regnum patriamque reliqui, Virginitas facta est peregrini praeda latronis, Optima cum cara matre relicta soror*. Conferas Euripidis vv. 255 sq.:

ἐγὼ δ' ἔρημος ἀπολις οὐδ' ἔβριζομαι
πρὸς ἀνδρός, ἐκ γῆς βαρβάρου λελησημένη,
οὐ μητέρο', οὐκ ἀδελφόν, οὐχὶ συγγενῆ
μεθορμίσασθαι τῆσδ' ἔχουσα συμφορᾶς

ut videas unde latronem et reliqua hauserit Ovidius¹. Ad verba *proditus est* cf. Eur. 483: *αὐτὴ δὲ πατέρα καὶ δόμους προδοῦσ' ἐμούς* (item v. 32).

¹ Erit fortasse cui suadere videantur Ovidiana ut in Euripidem quoque (v. 257) aliquo modo ἀδελφοῦ loco inferatur soror. Atque ne poterat quidem Medea fratrem quem secum duxerat necaveratque in fuga apte nominare hoc loco, ubi enumerat eos quos in patria sua reliquerit. Sed enim permirum est expresse addere Nasonem quod deest in graeco exemplo: *At non te fugiens sine me, germane, reliqui*. Itaque οὐκ ἀδελφόν et ipse Ovidius legerat idque tanquam falsum ut castigaret addere voluit Medeam, sororem quidem domi remansisse non vero fratrem — sed quid de eo fecisset premendum esse silentio.

Peliae natas pietate nocentes (Ov. 129) habes apud Eur. v. 487 easdemque iam in prologo v. 9. Domo cedere Iason iubet Medeam (Ov. 134), idem apud Eur. 450 et 458, et quidem natis duobus comitatam (cf. Eur. 461). Quotiens natos suos videt, lumina eius madent (Ov. 190): respondent fere quae praebet Eur. 347 (cf. 903—905 et sequentia). Planctus matris et angor v. 151 sqq. liberius ex prologo Eur. v. 30 sqq. transformatus videtur.

Neque tamen his excussimus rem; gravissima et haec: arma enim tria sibi esse scribit herois (Ov. 181) *ferrum flammam veneni succum*; inter eadem diversa haeret cothurnata (376—385):

πότερον ὑράψω δάμα νυμφικὸν πυρί
ἢ θηκτὸν ὄσω φάσγανον δι' ἡπατος
κράσινα τὴν εὐθείαν ἧ περὶ κάμεν
σοφαὶ μάλιστα φαρμᾶκοις αὐτὸν ἐλεῖν.

Atque rideri se non vult a Creusa apud Ov. 178 sq.; pro-
sus idem graeca dicit: οὐ γὰρ γελαῖσθαι τλητὸν ἐξ ἐχθρῶν, φίλαι
(797 et idem 403). Mores eius vituperantur Ov. 177 quocum
cf. Eur. 271: σὲ τὴν σκυθρωπὸν. Denique *Sisypheus* adiectivum
apud Eur. legitur v. 404, apud Ov. v. 204. (*Hecate* Eur. 396,
Ov. 168).

Vides igitur Nasonem cum Medeam scriberet heroida, non solum legisse graeci verba tragici sed etiam eo usque amavisse ut adderet non ita multa, immutaret pauciora.

De Phaedra multo certe manifestior res esset nisi *παλινωδιαν* scripssisset Euripides qua priorem suum Hippolytum velaret; atque uno illo Velato Hippolyto usum Ovidium esse in adornanda epistula IV dixit Wilamowitz-Moellendorf in *Analectis Euripideis* p. 159, nos Coroniferum inter et Ovidium similitudines eas deprehendimus ut ex utroque Hippolyto epistolam fluxisse credamus¹. Primum enim quod gravissimum est, non Athenis Phaedra Latina versatur sicut apud Senecam inque Ovidi Transformationibus (XV 506), sed Troezene sicut in Hippolyto altero².

¹ nisi probabitur ea quae enotabimus stare in utroque potuisse. Id expedire hoc loco non refert. Memineris fragmentum Euripideum 890 quo Veneris vis ac potentia describitur viris doctis oriundum visum esse ex priore Hippolyto; incertam hanc coniecturam esse quis negabit? eadem autem sententia contracta in brevius legitur iterata in Coronifero v. 447 sq. Certe igitur ornamenta in utraque fabula similia esse potuisse concedemus.

² Legas v. 103—108. Nam ita sanus quisque locum interpretabitur: Tu, Hippolyte, in silvis degis, sed ego comes tibi veniam neque

Prorsus efficta autem sunt ex Euripideis quae legis apud Nasonem inde a versu 37; nam in graeco quod habemus exemplo (v. 215 sqq.) subito itidem Phaedra Dianam incipit colere velle venandique artes adoptat ferasque sequi parat per silvas errabunda; quadrant autem in Heroidem ut res ita verba quoque singula:

εἴμι πρὸς ὕλαν	in nemus ire libet (41)
πέμπετέ μ' εἰς ὄρος	per iuga summa (42)
ἕνα θηροφόνου στείβουσι κύνες	pressisque in retia cervis hortari
βαλιδῆς ἐλάφους ¹ ἔγχρημπτόμεναι	celeris canes
κυσὶ θωύξαι	hortari canes
ἔραμαι . . . θύξαι Θεσσαλὸν ἔρ- πακ' ἐπιλογχον ἔχουσ' ἐν χειρὶ	aut tremulum ² excusso iaculum
βέλος	vibrare lacerto (43)
Ἄρτεμι . . . εἶθε γενοίμαν ἐν σοῖς	saepe iuvat versare leves in pul-
δαπέδοις πάλους Ἐνέτας δαμα- λιζομένα (231).	vere currus, torquentem frenis ora fugacis equi (45).

Dianam vocat, ne hoc omittam, apud Ovidium quoque v. 39. — Atque quo planior fiat imitatio, additur in epistula: *namque mihi referunt cum se furor ille remisit Omnia*; id enim revera facit nutrix v. 232—238, quibus auditis sui reminiscens exclamat puella: *δύστανος ἐγώ, τί ποι' εἰργασάμην; ἐμ' ἄνην*³.

Addi haec possunt. Cephalī Auroraeque amor memoratur et quidem consilio simili Ov. 93, Eur. 455; amor Pasiphaes atque Ariadne decepta a Theseo iunguntur et Ov. 57. 59 et Eur. 337. 339⁴; tacita dicitur Phaedra Ov. 52, item apud Eur. 40. 279.

feras timebo. Vbi Isthmon (inter oppida Celenderin atque Methanam) maria duo plangunt, ibi (inter saxa) tecum Troezena colam, hoc est: rure Pittheiō ipsam urbem Pittheiā mutabo; iam nunc, hoc est: iam antequam in agris Troezeniis tecum mihi consuetudo est, Troezen mihi gratior est ipsa patria. (Vocula *hic* ita posita est velut *huc* Verg. Aen. II 24). — Itaque repetit aperte Ovidius hoc loco quae iam v. 37 sqq. ex Coronifero desumpserat.

¹ Prave autem exaggerantem Nasonem versus 38 arguit: *est mihi per saevas impetus ire feras*; ita apri adsunt in v. 104.

² *tremulum* addidit Ovidius ut *δρηκος* plenam notionem exprimeret.

³ Etiam apud Senecam Phaedr. 115 sq. 238 sqq. silvas adire vult Phaedra; sed strictim tantum hoc attingitur, neque concinunt verba singula.

⁴ Certissima haec imitatio, quoniam in Hippolyto quoque simili consilio Phaedra ipsa est quae Pasiphaen simul et Ariadnen excitet;

392. Denique Ovidiana puella quod scribit: *ubi nunc fastus altaeque verba iacent* (v. 150), quoniam in ipsa epistula nimirum neque fastum deprehendis neque alta verba, libenter concedes legisse poetam versus Euripidis 406 sqq. ad quos quasi deleget lectorem suum. Item illa quoque (Ov. 127): *i nunc, sic meriti lectum reverere parentis* referri possunt ad Euripidis maxime v. 651 sq.

Discrepantia inter utrumque gravissima haec: nam in v. 109 sq. epistulae abesse Theseum legimus atque in ora Pirithoi detineri; at apud Euripidem nihil memoratur nisi *ῥεωρόν* eum reverti (v. 792), id quod solent de Delphica theoria interpretari. Nihilominus haec sic ut leguntur ad eos certe non pertinebunt qui in Hippolyto priore inferos relinquentem Theseum cogitant; scilicet quae nostro loco audit Pirithoi ora, fuisse alia nequit atque Lapitharum terra ubi nuptiis Hippodamiae vel Deidamiae tumultuosus heros Atticus adfuit. An corruptum locum esse dices? ¹

Itaque hoc ex Velato Hippolyto affluxisse incertum, credibile quae leguntur a v. 113 ad 126 ², fortasse etiam plura. Miro autem errore lapsus est Wilamowitz-Moellendorf (Anal. Eurip.

contra apud Senecam (v. 696 sqq.) Pasiphaen Hippolytus commemorat quae minus scelerata fuerit quam filia. (Aliter habent etiam v. 118 sqq.)

¹ Acheruntis orae eo minus orae Pirithoi vocari poterant, quia nunquam inferos relicturum esse Pirithoum tunc nesciebat Phaedra. Corruptum locum esse non antea credam quam detexeris sub *ora* quid lateat; at enim perdes operam. Nimirum improbabiliter coniceres: *Illum Pirithoi detinueri sui* — quamquam Pirithoos quasi duos esse et Phaedrae et Hippolyto praepositos versus 112 testari videtur: (Praeposuit Theseus) *Pirithoum Phaedrae Pirithoumque tibi*; aliter enim *que* aut abesse debebat aut bis adesse. Tu vero noli emendare, sed simillimam compara lectionem versus 68: *Gnosia me vellem detinuisset humus*.

² Nihil affirmo, coniectura tamen est mea Coronifero Nasonem eo usque usum esse donec nutricis medicamen Phaedra acceptura sit, medicamini vero litteras substituisset amantisque ideò mores magis descripsisse ex Velato. Etenim aliquo modo concinnum Ovidio est etiam hoc, quod apud tragicum Phaedra (v. 392 sqq.) tres gradus distincte enumerat quibus conata sit coercere amorem ne detegeretur; primo enim loco tacuisse tantum et celavisse se amorem, secundo extinguere eum temptasse, tertio quoniam hanc quoque operam perdiderit se ipsam fuisse necaturam. Poterat certe huius loci Ovidius memor esse cum scriberet (v. 7): *Ter tecum conatu loqui, ter inutilis haesit Lingua, ter in primo destitit ore sonus*; statim enim consilium adnectitur hic scribendae epistulae, illic adplicandi medicamenti. (Nihil nobis profuerunt quae de hoc loco scripsit L. Schmidt Archaeol. Ztg. 1847 p. 68. sq.)

p. 210) qui ex v. 135 sq. fabulam de Iovis Venerisque coitu Amorisque natalibus extricare posse sibi videtur, antea exposita quae fuerit in eodem Velato. Cautius conducet interpretari; Venus enim si iuncturae alicui nodos suos imponit atque addit, quomodo ipsa pars huius iuncturae esse potest? Iungit nimirum, non iungitur. Neque languet sententia, quae omnino non narrantis est sed disputantis. Nam hic sensus loci: privigno novercam coire crimen non est (v. 129); olim enim haec pietas potius fuit (131) Iuppiterque tum eam Venerem piam esse statuit quaecunque iuvaret (133); itaque antiquitus firma ea iunctura est qua libere Veneri ipsi obtemperamus (135 sq.).

Denique etiam inter epistulam IX Trachiniensesque Sophocleas eae comparent similitudines, cum neque res gestae quae enarrantur diversae sint, manifestum ut fiat ipsum Sophoclem inter manus Ovidio fuisse tractatumque ab eo per singulos locos amplificantis more ¹, qualia tamen necesse est occurrere eo rariora quo magis oratoria facultate Sophocles ab Euripide vinci credebatur. Itaque apud Latinum post oratorium exordium haec legitur sententia (v. 25 sq.):

Quem non mille ferae, quem non Stheneleüs hostis,

Non potuit Iuno vincere, vincit amor.

Sumptum hoc distichon ex disticho Sophocleo v. 488 sq.:

ὡς ἅλλ' ἐκεῖνος πάντ' ἀριστιέων χερσῶν

τοῦ τῆσδ' ἔρωτος εἰς ἄπανθ' ἦσσαν ἔφν.

'Vir mihi *semper* abest' (Ov. 33) cf. cum Soph. 34: τοιοῦτος αἰὼν . . . ἀεὶ τὸν ἄνδρ' ἐπεμπε λατρεύοντά τω, quibus quae adnectuntur apud Ovidium usque ad v. 46 circumscribunt ea fere quae in prologo graeco leguntur inde a v. 25². Ovidiana in v. 36: *torqueor infesto ne vir ab hoste cadat* pleniore apparatu proferuntur apud Soph. 141—176 quippe ubi huius timoris causa quoque explanetur.

Inde vero a v. 47 Ovidius disertis exemplis illustrat sententiam hanc (Soph. 459 sq.): οὐχὶ χᾶτέρας πλειστας ἀνὴρ εἰς Ἡρακλῆς ἔγγημε δῆ; Atque animum adverte quam callide figura utatur ille praeteritio; nam quod referre se nolle dicit Augen et Astydamiā Thespiadesque, sed unam tantum Omphalen, nonne

¹ Hoc quidem dixit iam Schneidewinus (ed. Trach. p. 14): 'das Sophocl. Drama schwebte dem Verfasser der . . . neunten Heroide vor'.

² *Simulacra inania somni* commonefaciunt verborum: νῦξ γὰρ εἰς-ἀγει καὶ νῦξ ἀπωθεῖ διαδεγμένη πόνον (v. 29).

facere hoc ideo videtur quia apud ipsum Sophoclem nominatim nullam viderat praeter Omphalen (v. 249 sqq.) castigari? Atque simillimam apud ipsum Sophoclem in amorum enumeratione praeteritionem legerat v. 497 sqq.: μέγα τι σθένος ἂ Κόπρις ἐκφέρειται νίκας ἀσπί: καὶ τὰ μὲν θεῶν παρέβαν καὶ ὄπως Κρονίδαν ἀπάτασεν οὐ λέγω οὐδὲ τὸν ἔννευχον Ἴδιαν ἢ Ποσειδάωνα πνάκτορα γαίης: ἀλλὰ eqs.

Adserendus laborum Herculeorum index obvius et apud Ov. 85—100 et apud Soph. 1094—1102; et quidem apud illum adversarii octo: aper, Erymanthius Cerberus, hydra, Lernaea leo Nemeensis Centauri Geryones, equae Diomedis serpentes necatae ab infante, apud Sophoclem sex: aper, Cerberus, hydra, leo, Centauri denique bilinguis custos Hesperidum¹. Fortasse ne hoc quidem casu factum, ut Hercules ipse esset utrobique labores istos qui enumeraret.

Audias plura. Adducitur ecce quasi in scaenam ipsam Iole captiva (Ov. 121); atqui apud Sophoclem incessu ea adest misericordiam movente, apud Nasonem vultu superbo. Igitur haec iterum exaggeratio indubitata, cui tamen quid ansam praebuerit nescio an perspicimus comparatis verbis Ovidi: *nec venit incultis captarum more capillis* et Sophoclis (366 sq.): ἦκει (Ἡρακλῆς Ἰόλην) πέμπων οὐκ ἀφρονίστως, γύναι, οὐδ' ὥστε δοῦλην.

Exaggerantis et hoc: nam cum graeca puella dixerit (550 sq.) ταῦτ' οὖν φοβοῦμαι μὴ πόσις μὲν Ἡρακλῆς ἐμὸς καλῆται, τῆς νεωτέρας δ' ἀνήρ, transformantur haec a Latina sic (v. 131): forsitan Iole pulsa Deianira deposito nomine paelicis uxor erit iungetque eam famosus Hymen cum Hercule. Subsequitur autem pariter et hic et illic narratio de Nesso devicto: Ov. 141 sq. Soph. 558 sq. (Acheloi devicti mentio fit Ov. 139; Soph. 20.)

Sequitur sermo in epistula per strophas dispositus ornatusque intercalari versu hoc: *impia quid dubitas Deianira mori?*² cui respondet sententia graeca haec: δέδοκται, κείνος εἰ σφαλήσεται, τάτῃ σὺν ὀρμηῇ κάμει συνθανεῖν ἅμα (719 sq.). Deinde distichon illud (161 sq.) quo defenditur Deianira:

Nessus ut est avidum percussus arundine pectus,

Hic, dixit, vires sanguis amoris habet

¹ Ampliora, ut solent, Ovidiana sunt; tamen custos ille Hesperidum omittitur, ni fallor, eam propter causam ut ne nimis angues cumulentur.

² Pessime autem hunc versum adnexuit poeta versibus 159—163, quibus expresse demonstraverat non impiam, sed insciam fuisse puellam.

refert Sophocleum distichon hoc (1141), quo pariter defenditur:

Νέσσοσ πάλαι Κένταυροσ ἐξέπεισέ νυ

τοιῷδε φίλτρῳ τὸν σὸν ἐκμήναι πόθον.

Denique neque hoc casu factum videbitur ut ipsis novissimis verbis altera vale diceret (165—168) altera *χαίρειν* iuberet (921), ea nimirum differentia, ut gladio percussa lectum suum adloqueretur, quae vero litteras exarare nondum desiisset, ad patrem sororem virum se converteret et ad Hyllum puerum quem primum repperisse mortuam Sophocles narrat v. 932¹.

Iam vero si bene cessit quod suscepimus firmare, lectam simul et pertractatam Nasoni fuisse Sophocleam fabulam, suum explicatum ea quoque res nanciscitur, quam non dubito quin maxime demirati sint omnes huius nonae epistolae compositionem qui curaverint. Sermo enim ad Herculem scribentis extemplo hiat interruptus post v. 142; nempe dum scribit nuntium mulier accipit ipsum illum Herculem obire mortem, atque tum, vix est quod credas, perversissima illa scribere ad pereuntem non desinit taliaque adnectit quae potius ad se ipsam derigi videantur quam ad coniugem. Quam perversitatem in propatulo est sibi concessisse Ovidium nulla alia ratione quam ut totam, quantum quidem ad Deianirae fata pertinet, tragoediam sui carminis finibus complecti posset. Ad quod perpetrandum si illam viam qua usum videmus respuisset, una tantum restabat eaque perversior, ut totam post nuntium acceptum epistolam scribi fingeret.

Simul non supervacaneum est attendere in v. 144 Herculem tabe tunicae venenatae non dici periisse sed perire; nimirum sciebat poeta scirique confidebat Herculem post ipsam uxoris mortem viventem vel, ut ita dicam, pereuntem intraturum esse in scaenam.

Atque his perpensis confidentia magis iam legitima epistulas nostras adibunt qui aut Hermiones aut Aeoli aut reliquarum quarum datur facultas graecarum tragoediarum naufragia colligere student. Nos ad id potius parati esse nobis videmur ut in Hypermestrae elegia quodnam exemplum Ovidius effinxerit significemus. Et quidem circumspicientes in graecis maxime litteris Danaidum fata quis ante Ovidium scripsérít, cum neque Alexandrinus liber

¹ Praetermittere autem in tali disquisitione ne id quidem par est, coniungi Eurystheum atque Iunonem tanquam hostes Herculis et Ov. 7 et Soph. 1048 sq. Item quod Ov. 9 optatur ne Iuppiter pater mali quid accidere sinat filio suo, adsonat hoc clausulae illi parodi (v. 140): *ἐπεὶ τίς ᾧδε τέκνοισι Ζῆν' ἄβουλον* (i. e. *κακόβουλον*) *εἶδεν*;

ullus memoriae se offerat¹ et ipsos tragoediarum titulos Euripideos Sophocleosque frustra perlustraverimus neque vero aut Phrynichi Danaidas aut Theodectis Lynceum Romae lectitatas fuisse quisquam contendere possit, unus atque solus superest Aeschylus qui per fabulas tres argumentum hoc distribuerat. Itaque dum quis alium quem adire Ovidius potuerit fontem indicabit, perprobabile dico Aeschyleo eum usum esse exemplo, quoniam quam amans graeci ille cothurni fuerit quamque in graecis interpretandis exemplis versatus modo docuimus. Nimirum Sophoclem qui legere valebat non erat cur Aeschylum reformidaret; immo facile fingi potest, cum unam hanc Aeschyli fabulam vidisset agere de puella deserta in calamitatibus iuvenaeque sponso, ideo eum et hanc unam arripuisse et neglexisse reliquas.

Non deficit qui negaret unquam Ovidio inter manus fuisse Aeschylum (Kruse ed. Aesch. Suppl. praef. p. 13 adn. 2); sed causis nullis; nam quod nusquam Aeschylum Nasso laudat, num usquam laudat Euripidem? vestigiaque quod nulla apud eum inveniri dicit Aeschylearum fabularum, nolo quidem patrocinari Welckero ad Niobam Ovidi Transformationes adhibenti, neque moror Apollinis mentionem Cassandram amantis quae est Trist. II 400, cuius rei notitia deberi poterat non solum Agamemnoni Aeschyleo, sed magis etiam, ut videtur, Euripidis Alexandro; sed cur unam Hypermetram arripuerit, neglexerit reliqua, id ipsum ex argumenti singulari natura explicasse videmur. Succurrit autem gravissimum hoc: aut enim fallor egregie aut demonstrare poterimus Nasonis temporibus adolescentis ipsam illam Danaidum fabulam Aeschyleam Romae et lectam fuisse et, quod maius est, expressam latine. Quod si tibi persuasero, non modo dubitationem illam debilitatam, sed etiam nostram maxime commendatam coniecturam esse concedes.

Properti inspiciamus carmen ultimum libri tertii (Lachmanniani), difficillimum quidem et indignis tenebris offusum. Hoc tamen perlegenti statim elucebit Lynceum fuisse aliquem inter amicos Properti natu maiorem virum doctrina admirabili philosophum et ethicum et physicum, denique poetam, et quidem, quod ad nos maxime pertinet, Aeschyli imitatore. Sed intentius in locum incumbamus. In prima parte poeta Lynceum accusat, quod Cynthiam suam quam hospitio eius crediderit, mala cupiditate temptaverit;

¹ In Aetiis Callimacheis rem occurrisse Schneiderus Hygini sectator contendere non ausus est (Call. II p. 63). *Ἰοὺς ἀφιέρις* inexploratum ad hunc diem Callimachi carmen quid fuerit, ex Licini Calvi epyllio colligas imitatoris. Huc traho frg. anon. Schn. 57; cf. Calvi verba: *a virgo infelix, herbis pascere amaris.*

constantem tamen et firmam fuisse puellam. Ignoscit autem amico quippe qui ebrius peccaverit (v. 22). Sed hoc addidicisse se dicit, amori obnoxios esse etiam quos notaverit ruga severa (23 sq.), ipsum enim Lynceum amicum seros insanire amores; atque hoc unum est¹ in hac amici offensa quod laetatur poeta, quod tandem adire coeperit amorem. Iam vero vaga Sexti elegia edocere poetam philosophum incipit quodnam litterarum genus amantis pectori aptissimum sit (a v. 27. ad 46), atque novis haec curis mihi interpretanda videntur.

Proficiscendum a v. 31 sq.:

Tu satius memorem musis imitere Philetan

Et non inflati somnia Callimachi.

Et primum quod lectionem loci attinet aperte corrupti, splendida quidem, tamen non vera coniectura est Bergki et Schneidewini, probata ea ab Hauptio. Diltheyo (Cydippes p. 3) Schneidero (Call. II p. 41): *Tu Latiis Meropem Musis imitere Philetan*; primum enim si graeca lingua Lynceus iste velut Messala bucolicus fuisset usus, debuisset quidem addi *Musis Graeis*, *Latiis Musis* adeo superfluit ut inferri Propertio vix liceat. Deinde quae de Callimacho praedicantur, somnia sermoque non inflatus, ea clamant etiam in praecedenti versu non de Phileta ipso sed de arte Philetæ agi, cuius rei indicium insuper adest ipsum adiectivum *memorem*. Itaque tale quid scribi necesse erat: *Tu suavis memorem lusum imitere Philetan*. Nihil certe magis idoneum quam *lusus* dici poterat, quoniam ut *παύζειν* idem est atque canere (Welckeri Theogn. p. 127), ita inter ipsa Philetæ carmina fuisse scimus quae *παύζην* inscriberentur, et quidem scripta distichis elegiacis (frg. Bach. p. 41 sq.); ita somniis Callimachi denotari Aetia dixit Diltheyus l. 1. p. 15². *Lusus* autem sine adiectivo stare nequit, simul *satius*

¹ Ita neque aliter *solum* in v. 26 intellegi potest beneque sic cohaerere omnia vides (*serum* autem qui scripsere prorsus languidam reddiderunt sententiam); itaque hanc unam vocem *solum* satis refragari iis existimo qui post v. 22 novum carmen incipere coniecerunt; neque enim ea in initio posita explicatum ullum haberet. Accedit quod elegi bini ad eundem hominem scripti non ita collocari solent ut alteros alteri excipiant, Haec addenda putavi ad Heydenreichi disputationem quæ est in Comment. philol. seminarii Lips. 1874 p. 9 sq.

² Hoc cui persuasit Diltheyus, intelleget multa in Aetiis Propertium invenisse argumenta amatoria. Quod magis etiam ei tenendum qui elegias Callimachi idem atque Aetia esse statuerit. Hinc primum inductus sum ut Sappho Callimacheam proponerem, hinc firmatum de Phyllide mihi est iudicium.

male coniungi cum coniunctivo diu monitum est; *suavis* autem quod verbum apud Vergilium inque carminibus Flacci obvium Proptius non erat cur respueret (*savia* leguntur Prop. III 29, 39) optime opponitur duro illi poetae (v. 42)¹. Ceterum Ovidius elegiacam artem illustraturus similiter dixit (Remed. 379 sq.):

Blanda pharetratos elegeia cantet Amores

Et levis arbitrio *ludat* amica suo².

Itaque monet Lynceum poeta ut amatorium lusum Alexandrinorum imitetur. Hoc autem, quod neglexerunt omnes, insipientis esset nisi alios tunc Lynceum solitum esse imitari dixisset antea. Sequitur primum quidem ut verba (v. 27): *Quid tua Socraticis tibi nunc sapientia libris Proderit* ita accipiamus quasi scripserit ille libros Socratica sapientia plenos ('quid tibi tua in libris tuis Socraticis sapientia proderit'; nam etiam re grammatica vix concederetur 'tua sapientia e libris Socr. adsumpta')³. Sequitur praeterea ut in v. 29 corruptum sit *lecta*, male aptum etiam per se; nam horum poetarum quis unquam quaeso lectione dixit carminum leniri posse amorem? Balineum, aequo iure interrogare potuisset, aut equitatio quid tibi nunc proderit? Sententia totius loci haec esse debet: in amore non prodest carmina grande sonantia scribere atque severa, sed mollia illa ac levia quae in ipso amore versantur. Itaque non male esset si legeretur: *Aut quid Erechthei tibi prosunt carmina ficta?* Nam fictum carmen audit cuius grandis longinqua extra rem ipsam posita impeditaque fabulis materies est: videas Vergili Georg. II 45.

Iam vero quis iste fuit quem imitatus Lynceus est? Certum et planum adest in v. 41 nomen Aeschly, Erechtheus⁴ senex in

¹ *Suavis poeta* e. g. Simonides audit apud Ciceronem N. D. I 60.

² Tacitus Dial. cap. 10 lyricis iucunditatem tribuit, elegis lascivias, *lusus* epigrammatis.

³ Hic autem, post v. 28, inserendi sunt v. 51—54 quos praemonente Lachmauno locum rectum amisisse L. Muellerus bene sensit, rectiorem tamen iis dedisse non videtur, post v. 46 quem pulcherrime versus 47 excipit; turbarentque ii pariter ubique sententiarum nexum praeterquam in loco indicato, quem eundem magis etiam argumenti affinitas commendat. Denique in v. 50 moneo pessime ac perversissime usque ad hunc diem legi *tamen*. An idem *tamen* quod *sed*? Scripserim ego: *Trux etiam a nobis tunc domandus eris*.

⁴ Verissime certe Diltheyus l. l. dixit *Erechthei*, in codicibus leniter tantum obscuratum (*Erechtii* N. *Erethi* G.), non emendatione egere sed interpretatione; id enim praeclare vel ipsis conaminibus emendatorum firmatur: *Lucreti, et Aetnaei, Gargetti, epe Chii* (!), *Crethi*.

v. 29; itaque aut duorum ille Atheniensium aemulus fuit aut pro Aeschylo etiam senex Erechtheus accipiendus; atque hanc alteram sententiam, quae erat Hertzbergi, re multo magis commendari dixerim; prioris vero patronus Diltheyus exstitit (Cydippes p. 3) eam unam propter causam quod in v. 41 indicaretur voce *et* intermissa nunc demum transiri quasi ad novum quiddam ad Aeschylum (idem dixit O. Haube l. l. p. 31); itaque Propertium praeventibus grammaticis Alexandrinis, adprime Aristarcho, Homerum senem pro Atheniense habuisse dicit.

Sed enim in v. 41 *et* non ad *Aeschyleo cothurno* trahendum est, sed ad *componere verba*; nam qui verba componit prorsus diversus est ab illo qui carmina facit; hic enim — cuius rei testis est omnium poetarum usus unanims — componere dicitur non verba sed aut carmina aut versus; Horatius si exhibet *res gestas* atque *sermone componere* (Epist. II 1, 251 cf. Epist. I 1, 12), non artem videlicet, sed argumentum carminis spectat. *Verba componere* bis¹ legi in Ovidi Met. IX 521:

Et meditata manu componit verba trementi,
et in Aconti epistula (XX 27 sq.), ubi Amor scribenti verba dictare dicitur, scribens verba componere²; itaque utroque loco idem est atque *verba exarare*, id quod ipse Diltheyus animadvertit p. 62 adn. Iam notio haec cum minime quadret in Propertianum locum, compositio illa verborum esse nihil potest nisi tractatio verborum artificiosa, atque hanc compositionem Aeschylum ipsum quoque fovisse scis sermone audacissimum; adeas tragicum vel in Ranis Aristophaneis memineris quam fuse quamque iocose hoc proprium Aeschyli cavilletur facetus ille Atheniensis; hunc igitur κομπολακοῦντα et σεμνὰ ῥήματα πυργοῦντα eiusque κωδωνοφαλαροπώλους σαλπυγγολογγυπηράδας σαρκασμοπιτυνοκάμπιας quantum condebat linguae latinae ingenium, aemulatus Lynceus erat ampullis suis verbisque sesquipedalibus.

Atque quod unum aliquam speciem haberet *Cretaci*, bene dixit Lachmannus gentile non esse, sed possessivum. Iacobum autem non moror qui *vester senex* ex communi omnium dicendi ratione *philosophum* debere significare contendit (adstipulatus ei est O. Haube de carm. epicis saeculi Augusti dissert. Vratisl. 1870 p. 29 sqq.); casu arripio Taciti Dialogum ibique lego cap. 18 init: *Calvus vester*; ibidem cap. 10: *ne solum cothurnum vestrum . . . , sed lyricorum quoque iucunditatem* eqs.

¹ Nam prorsus alia res Prop. II 9, 31, ubi *verba componere* idem atque *comp. mendacia*.

² Vereor ne legendum sit. 'Te male compositis si quid tamen egimus a me Adstrinxit verbis ingeniosus Amor'.

Atque simile quid etiam sub verbis *desine et in molles membra resolve. choros latere suspicor*; nam sicut *chori molles* hic elegiacae artis vice funguntur (huius usus exempla congescit Hertzbergius ad IV (III) 1, 4), ita etiam *membris* illis exspectamus denotari aliquod artis genus; videbitur igitur Propertius *καλα* metricorum graecorum in latinum vertisse ut severam artem melicam et cantica cothurnata elegis opponeret, unde iucundissima mihi effecta videtur verborum ambiguitas.

Homerum autem quem semper proprio simpliciter nomine memoravit Propertius quique apud poetas Latinos omnes Maeonius quidem vocatur, Smyrnaeus, Colophoniacus, nunquam Atheniensis, nostro loco vocari Erechtheum ne substantivo quidem ullo adposito credere nequeo, omninoque adiectivum tam nudum stare posse negaverim (an habes exempla?) nisi antecesserit mentio eius ad quem pertineat: quod utrum contra Homerum magis pugnet an contra Aeschylum mox videbitur. Denique nihil in amore iuvare Homerum ne verum quidem est teste Ovidio Trist. II 371—380; quare non minus quam Antimachus apud Sextum obnoxius amori Homerus est v. 45 (comparaverunt Hermesianaactis fig. 5, 25 sq.).

Itaque v. 33—40 interpretor sic: licet Aetolum referas et Maeandriam undam et equum Arionem, hoc est, licet immisceas¹ severae fabulae res amatorias, tamen num Amphiaræae prosint

¹ Attendas non dici haec revera immiscuisse Lynceum, sed fugit poeta non vera quaeque immisceri vix possint, quod satis firmatur coniunctivo *prosint* in v. 39, quem Neapolitanus servavit; aliter enim indicativus cur non adsit omnino non perspicitur. Ideo epicum et tragicum carmen non erat cur accurate distingueret. Et quidem Aetoli atque Deianirae amor in Thebaide tractari non poterat nisi forte cum Tydeus induceretur, filius Oenei Aetoli. De Arione equo Adrasti narrari debuisset per ambages satis longas, ortum eum esse ex Neptuni amore et Cereris cum et haec et ille equinam formam induissent vel quae similia circumferebantur: ipsa enim origine explicata bene absolutebatur qualis tristis ille equus fuisset explicatio (an alia forte tibi praesto est vocis *qualis* interpretatio?). Quid vero dicendum de Maeandria unda? Nam Byblidem Maeandriam Cauni amantem significari credit nemo collatis Ovid. Her. IX 55, Met. VIII 162 sq., Seneca Herc. fur. 683; ipsius autem Maeandri amores non ferebantur. Subsunt ni fallor Hercules et Omphale; id enim suadet simillimus locus Heroidum IX 55: *Maeandros terris totiens errator in isdem, Qui lassas in se saepe retorquet aquas, Vidit in Herculeo suspensa monilia collo* eqs. Iam vero in Thebaide adnecti haec non poterant nisi forte excursui qui esset de Aetoli Deianiraeque amore. Denique his consideratis non satis locum excussisse Schneiderum (l. I. p. 41) necesse est concedas.

tibi fata quadrigae? hoc est, num ipsa fabula Aeschylea eo minus severa facta erit?

Iam Lynceus iste quis fuerit non curo¹; curo unde nomen suum acceperit. Namque non verum hoc esse sed fictum atque scaenicum hunc poetam ipsum quasi personatum incedere nemo adhuc infitatus est. Simile quaeres. Provoco ad inventum illud Kiesslingi quod est de Tusco Phyllidis scriptore²; nam Ovidius ubi epicos scriptores enumerat (ex Ponto IV 16, 19) cum haec diceret:

quique sua nomen Phyllide Tuscus habet,
significari his intellexit ille poeticum aliquod Tusci cognomen, comparatis exemplis fere talibus: 'fontem qui nunc quoque . . nomen habet dominae' (Met. IX 665) 'porticum auctoris Livia nomen habet' (Art. I 72) cf. etiam ex Ponto IV 16, 17; ita ut eundem hunc esse efficeretur atque Demophoontem illum Propertii amicum ad quem scripta elegia est III 22. Quare quominus hoc Tusci carmen ad heroidem alteram Ovidius adhibuerit temporum certe ratio non obstat. De Lynceo autem sentis quo tendam; is enim qui in Aeschyleis non solum fabulis sed canticis quoque latine scribendis versabatur, si nomen habebat a suis poematis (id autem nunc simile certe veri dices), vocari Lynceus inter sodales vix poterat nisi quod Danaidas Aeschyli tractaverat quarum Lynceum magnam partem fuisse consentaneum est. Quod si verum est, iam meminisse et haec iuvabit, tunc temporis alternis signis Danaidum patrisque ensem sustinentis decoratam porticum esse Apollinis Palatini (videas Ovidi Trist. III 1, 61; Art. I 73; Amor. II 2, 3; Prop. III 31, 1 sq. Schol. Persi Sat. II 56), sicut in balteo quoque apud Vergilium (A. X 497) caelantur *una sub nocte iugali Caesa manus iuvenum foede thalamique cruenti*, et rem eandem iniungere lyrae suae voluisse Horatium (c. III 11): nimirum in deliciis tunc hominum litteratorum caedes illa fuit Aeschylea. Propertius vero nunc demum intellegere videor quo iure adiectivum *Erechtheum* tam nudum ponere ausus sit; namque in antecedentibus ubicunque Lyncei nomen apparet, Aeschyli imitator ideoque Aeschylus ipse cogitabatur.

Sed non minus vaga disputatio nostra procedit Thebaide illa quam Lynceum scribere finxit Propertius. Ovidi ne obliviscamur,

¹ Aliquam similitudinem intercedere animum advertas inter Lynceum et Ciris poetam; philosophus tragicus fuit ut postea Seneca.

² Georgio Fr. Schoemann gratulatur phil. ordo Gryphiswaldiae 1875.

qui si heroidem suam aut ex Lynceo isto aut ex Aeschylo ipso deprompsit, aliqua certe imitationis vestigia indagari par erit.

Et primum quidem diversam prorsus moribus esse moneo urgeoque a reliquis universis heroidem hanc. Audias modo Hypsipylen Medeam amore et odio incensas, Ariadnen querulam frustra que aventem, puellas istas omnes distractas cupidinis lascivia et angore pronas simul in blandimenta et obrectationem et quavis arte imbutas amatoria — neque enim excipi adeo ipsa Penelope potest. In Hypermestra contra nullum verbum, ne littera quidem una ad amorem pertinens, immo pro pietate sua Lynceum Hypermestra non interfecit, pro pietate sua auxiliantem adfore sperat. Atque ad hanc abstinentiam quid impellere amorum amatorem poterat praeter exempli graeci naturam? Nonne in mentem statim incidunt quae de arte sua Aeschylus ipse dicit apud Aristophanem Ran. 1043 sq.:

ἀλλ' οἱ μὰ Δι' οὐ Φαίδρας ἐποίουν πόρναις οὐδὲ Σθενεβοίας
οὐδ' οἶδ' οὐδεὶς ἦναι' ἐρώσαν πάποι' ἐποίησα γυναῖκα.

Quod Euripides confirmat respondens ita: *μὰ Δι' οὐ γὰρ ἐπὴν τῆς Ἀφροδίτης οὐδέν σοι.* Itaque nemo Atheniensium unquam in fabulis Aeschyleis amantem puellam viderat. Quibuscum miro modo concinunt quae Propertius dicit: *Nil valet in magno vester amore senex.* Vtroque igitur testimonio firmatur et Lyncei et Aeschyli Hypermestram caruisse amatorio sermone, quamquam Prometheus Vincus Aeschyleus (v. 865 sq.) de Hypermestra vaticinatur: *μὴν δὲ παιδῶν ἡμερὸς θέλει τὸ μὴ κτεῖναι σύνευνον.* Tam casta enim Musa Aeschyli ut supponeret quidem amorem ubi narratione nupturam perstringebat, describere amantem dedignaretur substitueretque ei propriam suam pietatem¹. Quasi firmamento etiam ita succurrere licebit Aristophaneo iudicio: Ovidium enim in Tristium libro II ita lascivias suas excusare scis ut cuiusvis generis scriptores quoscunque licebat amoribus indulsisse arguat, ideo ipsarum tragicarum heroidum cumulat nomina (v. 381 sqq.); itaque num suffugere se siisset severissimum Aeschylum trilogiamque amatoriam? Tamen non adest ibi Hypermestra.

Sed age ipsam fabulam Ovidianam examinemus. Statim adest

¹ Idem testari ipsas fabulas servatas ad unam omnes vix est quod memorem; nam in ipso Agamemnone adulterium suum Clytaemnestra alto silentio obducit usque ad v. 1625 (praeterquam quod caute rem tangit v. 1435); exinde eius mentio per brevem fabulae clausulam non adest nimirum nisi acerba atque indignans. Idem de reliquis fabulis deperditis cur non valeat non video; de Hypermestra plura infra dicentur.

quod magni facias; quod enim Ovidius narrat v. 114: *cum sene* (senex hoc loco expresse dicitur Danaus sicut Suppl. 177. 590) *nos inopi turba vagamur inops*, bene hoc quidem illustratur ipsis Supplicibus, apud Hyginum vero legis (fab. 168) *Danaum ex Africa profugisse Minerva adiutrice quae navem ei dederit biproram in qua Danaus profugeret*. Eadem res apud Apollodorum Bibl. II 1, 4: *Δαναὸς τοὺς Αἰγύπτου παῖδας δεδοικῶς ὑποθεμένης Ἀθηνᾶς αὐτῷ ναῖν κατεσκεύασε πρῶτος* eqs.; quae circumscripta habes etiam Schol. Iliad. I 42. In Supplicibus Aeschyli nullum verbum omnino de Minerva adiutrice, sed Danaus solus *βούλαρχος* parat fugam; verbum nullum etiam apud Nasonem; sequitur ut neque mythographi graeci nec ipse Hyginus¹ ad Danaidum fabulam adhibuerint trilogiam Aeschyli, neque caute egerunt qui ad redintegrandam tragicam memoriam hos magis quam Ovidium sequebantur.

Qua de re confirmatius etiam mihi suffragaberis hac altera observatione facta. Rex enim ille qui Argis recipit supplicantes quo nomine appellari solebat? Gelanorem (vel Helanorem) *τὸν Σθενέλα* apud mythographos inuenies epicam puta Danaida secutos (cf. Welckeri Aesch. Tril. Prom. p. 393) Apollodorum l. l. Homeri scholiasten Pausaniam II 16, 1; atque Hyginum si non omisisset nomen conspiraturum fuisse cum illis concludendum est ex supra dictis. Ovidius igitur cum *magnum Pelasgum* appellet (v. 23) unde eum cognovisse nomen tam rarum veri similis est quam ex Aeschylō qui unus idem exhibet (v. 238)? Tale nomen quo est exilius, eo clarius deperditae fabulae latibulum prodere videtur. Piscatoribus praedam bullulae sufflatae ostendunt in summa aqua evanescentes. Deinde etiam *magnum* adiectivum non sine certo exemplo adponere Ovidium credes. Atque magnus rex idem esse solet ac *potens* (ne Alexandros adferam, cf. e. g. Horati Sat. I 3, 136 II 5, 64); itaque nonne memor ille fuisse videtur sermonis qui est Supplic. 241—246 ubi ingentes fines regni Pelasgici describuntur, praeter ipsos Argos terra Strymonis, Perrhaebia, Paeonia, Dodona, Pindus? Ita supra p. 402 coniecimus Ovidium in Medea (v. 54) verbis *magni nata Creontis* expressisse Euripideam (v. 19): *Κρέοντος παῖδ' ὃς αὐομνῆ χθονός*.

In iis autem quae sequuntur vitium tollere refert. Legitur enim in ipso v. 23 sq.:

¹ Falso igitur de eo scripsit G. Hermannus (Aeschyl. I p. 332): 'wie Hygin, vermuthlich aus dem Aeschylus, erzählt'.

Ducimur Inachides magni sub tecta Pelasgi

Et socer armatas accipit ipse nurus.

Atque hoc maxime loco praeter unum Euripideum (Archel. frg. 1) Welckerus usus est (Mus. Rhen. 1846 p. 495) ut probaret apud Aeschylum nuptiis cruentis adfuisse etiam Aegyptum; sed enim de Euripidis verbis bene contra disputare videtur Krusius (Suppl. praef. p. 17), Ovidiana vero haec non recte legi testis est vox *ipse*, quam non solum supervacaneam sed perversam esse dico. Si enim praesens fingitur socer Aegyptus cum in Pelasgi domum nurus adducuntur, pronomen *ipse*, si omnino, fortasse ita adplicari potuisset: 'et socer armatas nurus in *ipsa* Pelasgi domo accipit'; ad socerum adpositum *ipse* omni caret acumine, neque tamen nisi a balbo sine acumine pronomen hoc poni licebat¹. Scilicet non mira res est socer nurus si accipit, mira potius erat si non accipiebat. Itaque non frustra olim librarii pro *ipse* subposuerunt aut *ille* aut *aede* quod obtinebat in editionibus vetustis; atque videas modo G. Hermannum ingeniosissimum virum in quam contortam et absurdam interpretationem corruptela abduxerit (Opuscul. II p. 324); nam ex eius sententia non socer Aegyptus sed 'Pelasgus ille quasi socer esset armatas puellas quasi nurus' accipit! Iam, ut spero, perceptata haec succurret emendatio:

Ducimur Inachides magni sub tecta Pelasgi

Nec socer armatas accipit ipse nurus

ita ut *ipse* opponatur nomini Pelasgi sensusque sit: 'non in soceri sed in alienam domum sponsae ducimur, neque enim socer ipse adest ut nurus suas armatas accipiat'². Quae lectio rem ipsam

¹ Fortasse in voce *armatas* acumen sententiae esse dices, quasi id demiretur poeta ad socerum ipsum puellas venire quamvis armatas. Sed hoc intellegere non possem nisi sic, si armatae nurus adessent, vicarium fungi debuisset vice soceri! Vides stare ne hoc quidem posse. Neque omnino in *armatas* acumen positum est quasi in re nova, quippe cum ensem eas tenuisse iam antea commemoraverit poeta in v. 11 et 5.

² Eadem medela admovenda est epigrammati Vergiliano (Riesi Anth. lat. 777 v. 4):

Illius haec quoque sunt divini elementa poetae

Nec rudis in vario carmine Calliope.

an magis forte placebit L. Muelleri (ed. Catull. p. XLV) *erudit en vario?* Eadem fere Manilio II 766 sq.:

Erutaque abstrusa penitus caligine fata

Pieridum numeris *needum* modulata canenti.

Eadem, ni egregie fallor, loco desperato Paneg. in Pison. v. 239 sq. ubi post facilem versuum transpositionem bene fluent omnia:

contemplanti certior etiam videbitur; nam qui caedi filiorum adesce voluit Aegyptum regem, post caedem quid rex egisset indicaret necesse fuit; Patras fugere potuisset (ita Pausanias VII 21, 13, sed narratio haec est earum quae unius pagi oppidive fines non ex-cesserint) aut potius debebat ira incensus una cum Lynceo ultionem a Danao petere: at alto ista silentio premuntur. Accedit quod et tota fere antiquitas (scholia varia Hyginus Apollodorus Zenobius) Aegyptum non adfuisse consentit et quae apud Ovidium gravissimum testem in *Ibidis* v. 175 sq. leguntur verba significare idem videntur:

Quaeque gerunt umeris perituras Belides undas

Exulis¹ Aegypti turba cruenta nurus.

De Aeschylo ipso autem valere idem satis certum erit versus *Suppl.* 874 et 895 ponderanti.

Itaque in epistula Ovidiana *Hypermetra* postquam vinctam se catenis non paenitere affirmavit pietatis suae (v. 1—20), nuptias describit quinquagenas sub tectis Pelasgi actas, hymenaeum, caedem nefastam, se tamen ipsam contra iussum patris pepercisse Lynceo, illum aufugisse, dinumerasse Danaum generos ex caede

Maecenas alta tonantis

Carmina Romanis *necdum* resonantia chordis

Eruit et populis ostendit nomina Grais

Ausoniamque chelyn *grandis* patefecit Horati.

Nam toto hoc loco agi necesse est de Horatio. Itaque sensus hic 'Maecenas eruit Graisque populis ostendit nomina eius qui carmina tonat alta necdum Romanis chordis resonantia'. Ad *carmina tonare* cf. Vergili A. IV 510; vita Verg. in Sueton. Reiffersch. p. 72 v. 4; tonans autem in v. 241 *grandis* dici Horatius poterat, non *gracilis*; neque omnino gracilitas in poeta laus est, sed vitium.

¹ Exul Aegyptus, nam Ius progenies pro patria Argos habet, Africam quasi ultimum orbem pro exilio; ita *Hypermetra* scribit (Ov. v. 112) *eiectos ultimus orbis habet*, hoc est 'eiecti sumus qui ultimum orbem (Africam) habitamus'; insulsa enim ad hunc versusum profert Burmannus. Ideo in *Supplicibus* nusquam patria Africa appellatur, immo in patriam nunc revertuntur Danaides (v. 315 sq.). Igitur in elogio illo (*Heroid.* v. 129) *exul Hypermetra* eqs. summum inest doloris acumen; nam puella quamquam Argis est, exul moritur, quoniam et a patre et a patriae civibus damnatur neque ut vivat Argis ei conceditur. Haec igitur prisca illa ira est Iunonis a *Supplicibus* memorata qua exul et vaga Io facta est, vagi et exules Beli filii Danaidesque (*Ἰέρις φρυγίας* *Suppl.* 349) ad unam usque Lyncei uxorem. Hoc ingeniose perspexit Welckerus *Mus. Rhen.* IV p. 508.

iacentis, vinclis filiam onerasse; denique petit a Lynceo sibi ut aut opem ferat aut paret sepulturam.

Atque haec poterantne derivari ex tragoediis iis quas Gratiarum cum Supplicibus numerum complevisse oportet? Ego equidem quid obstat non percipio, Prorsus enim incognitae illae praeter titulos incertos et ipsos fragmentaque pauca non nimiae hercle loquacitatis. Itaque denuo aliquantisper exspatiandum est rapimurque quamvis inviti in campum illum in quo Welckerus et Hermannus olim digladiati sunt volumine plus uno. Inquirenda enim mihi etiam hac in re non pauca video atque adeo plura quam quae bene excutere hic valeam. Quodsi suspiciones vel dubitationes meas rimari contentus fuerim, doctiori fortasse ad veriora rem perducere continget. Id autem statim velim mihi concedas non ita magnam Welckeri Hermannique sententiarum esse auctoritatem, quippe qui ad arbitrium sineque certa ratione modo Ovidium advocantes modo mythographorum hunc aut illum alter ab altero dissentiant in re fere una quaque, nisi quod ream in fine fabulae Hypermestram fuisse ex ipso Ovidio uterque assumpsit (similia narrat Pausanias II 19, 6).

Quattuor, non tres prostant tituli in trilogia nostra qui locum sibi vindicare videantur: *Ἰκέυδες Δαναΐδες Αἰγύπιοι Θαλαμοποιοί*. A Supplicibus certe fabulam incepisse hoc tempore nemo infitias ibit (si dubitas, adeas Tittlerum in Z. f. A. W. 1838 p. 953sq.). Hanc igitur primum Welckerus partitionem commendabat: *Ἰκέυδες Αἰγύπιοι Δαναΐδες*, in altera fabula parari nuptias, caedem cum ipsis nuptiis post finem eius cadere, *Δαναΐδας* caedis continuisse narrationem reaeque Hypermestrae absolutionem intercedente Venere. Sed recte haec ipso Hermanno duce Krusium redarguere video in ed. Suppl., vix enim filii Aegypti quibus nubunt *Δαναΐδες* audire *Αἰγύπιοι* poterant, qui populus est¹, sed aut *Αἰγύπιον παῖδες* (ita in Suppl.) aut *Αἰγυπιάδαι*, neque vero barbaros istos feroces quales in Suppl. describuntur decebat in orchestra versari. Sin autem in media fabula ipsa committebatur caedes (id quod Hermannus statuit), trucidatus chorus ipse iacuisset!

Danaidibus Hermannus quoque et ultimum locum tribuit et argumentum fere idem (itidemque Krusius), Aegyptiorum loco posuit *Θαλαμοποιοίς*, atque qui disputationem eius legerit (Ber. über die Verh. der Sächs. G. W. I p. 12 sq.; cf. ed. Aesch. I p. 331),

¹ Significari populum firmatur Timoclis comoedia *Αἰγύπιοι* apud Athen. VII p. 300a.

quin recte thalamorum istos curatores ad raras illas nuptias quin-
quaginta thalamorum rettulerit, dubitare non audebit, quode ne
Welckerus quidem (in Mus. Rhen. XIII 189) dubitare ausus est ¹.

Itaque neglectisne Aegyptiis in trilogiam cum Supplicibus con-
sociabis *Θαλαμοποιούς* et *Δαναΐδας*? Hoc contendere unus adhuc Krusius
suscepit ², Welckerus cautior l. l. potius eosdem fuisse sumpsit
Θαλαμοποιούς atque Aegyptios (hoc est filios Aegypti); sed sponso
credibilene est ipsos cubiculum sibi lectosque adornavisse? *Τάχα*
δὲ καὶ οἱ Θαλαμοποιοὶ εἶδος τέχνης dicit Pollux VII 122, ceterum cf.
Krusi praef. p. 15. Incredibilior etiam sententia Hermanni, duplicem
in secunda trilogiae fabula chororum fuisse et primum ex Aegyptia-
dis, post caedem autem ex thalamorum aedificatoribus compositum
opinantis. Denique Krusium Aegyptios eicientem certe non minus de-
ficit similitudo veri, verissime enim Welckerus dixit (Mus. Rhen. IV
p. 482) eici eos non posse nisi ab eo, qui alium aliquem praeter
Danaidas mythum ex ampla veterum fabulorum copia in lucem
protraxerit in quo scaenam ingredi potuerint Aegyptii ³. Itaque
non tres fabulae concurrunt, sed quattuor.

Alia difficultas haec. Quoniam enim consentaneum est, ultima
fabula ubi incipiat, a commisso iam cruento facinore puellas venire
(ad quod acriter nimirum patrem secutae erant; nam qui se ipse
aliquam propter causam trucidaturus est causam istam data facul-
tate praeferet removere), parricidio illae obstrictae sunt neque igitur
dignae omnino quae chori partes agant. Numquam hercle
mihi persuadebitur hoc, Aeschylum qui totam fabulam impendit in
Orestis scelus expiandum — et tamen omni odio Clytaemnestra et
indignatione digna fuerat — puellis sanguinolentis dedisse ut mu-
nere illo fungerentur sacro neque nisi insontibus accommodato.
An revera nobiliores quae matrimonium exosae vi vim illatam defen-
dentes offendunt deos nuptiales, quam is qui ipsius Loxiae iussu
obtemperat? Ipse Aeschylus nonne in Prometheo castigat illas quasi
μυιφόνους egisseque dicit *Θράσει νυκταρουρήτω* (v. 862 sqq.)?
Damnabis eas tu quoque si reputaveris filios Aegypti omnino non
hostes Danaidum fuisse sed fratres, nam quod iure pressit Tittlerus
(Z. f. A. W. 1838 p. 956) ne uno quidem verbo in tota Suppli-
cantium fabula culpantur illi quasi regno Danaum privaverint Aegy-

¹ Ita Prellerus quoque (Myth. Graec. II³ p. 52) secutus Her-
mannum est.

² Nam Oberdieckius in editione Supplicum huic rei novam curam
non impendit.

³ Magis etiam iis hoc firmabitur quae dicentur p. 424 adn. 2.

ptiaco, itaque (aliter atque in Clytaemnestra) iam nullum fratrum crimen superest praeter mentis ferociam; etenim ut fratribus nuberent sorores hoc ex ipsis legibus fuisse civitatis Aegyptiacae evincitur versibus Suppl. 372—376, quoniam contra Pelasgi verba quod respondeant puellae non habent. Sin autem iudicium (id quod Hermannus putabat) vel expiationem sorores parricidae subibant, eo minus aptae erant ad chorum ultimae tragoediae, quem potius si non Furiis (cf. Culicis v. 246), at hominibus saltem aut accusantibus aut ius dicentibus impertieris.

Quid quod ne fragmentum quidem illud recte legitur gravissimum quod est in scholiis Pind. Pyth. III 27

κάπειτα δ' εἶσι λαμπρὸν ἡλίου φάος
 ἕως ἐγείρω πρηνεμεῖς τοὺς νυμφίους
 νόμοισι θέντων σὺν κόροις τε καὶ κόραις.

Sensu haec destituta, itaque Welckerus cum aliis Heynio obsecutus pro θέντων posuit θέλων. prudenter hoc repudiavit Hermannus (Op. II p. 324), atque mehercule ridiculus Danaus rex fuisset si ipse hymenaeum matutinum decantasset. Neque tamen tolerabilem quisquam credet interpretationem Hermanni: Tum vero it (h. e. abit?) lumen solis usque dum excito (dicens) 'favere iubento sponso, ut mos est, cum pueris ac puellis'. Neque enim ἐγείρω sine obiecti indicio stare neque suppleri poterat *dicens*. Sed fac recte haec habere, superest et apud hunc et apud Welckerum scrupulus molestissimus in voce εἶσι. condonemus et hoc quamvis invitī, verbum ἰέναι perfecti temporis notionem habere, at quando unquam ἰέναι idem fuit atque φροῦδον εἶναι? apud quem sanum hominem *abiisse* et *abesse* non diversa sunt? Itaque ἕως ἐγείρω iuxta εἶσι stare non poterat scribendumque erat κάπειτα δ' ἔρρει vel simile quid. Denique etiam hoc monendum in fragmento isto temporis notam (occasum vel absentiam solis) parum apte neque solito more per primariam sententiam exprimi, non per secundariam; cur non hunc in modum sententiam Aeschylus formavit 'et postquam abit vel dies vel nox excito illos?'¹

Itaque nulla fere immutata litterula haec Aeschylō restituerim

κάπει τόδ' εἶσι λαμπρὸν ἡλίου φάος,
 ἕως ἐγείρω, πρηνεμεῖς τοὺς νυμφίους
 νόμοισι θέντων σὺν κόροις τε καὶ κόραις.

Hoc est 'et quoniam lumen solis abit, propitios faciant spon-

¹ Neque hoc omnino crediderim graecum scriptorem sibi concessisse ut in narratione pergeret colligatis particulis καὶ ἔπειτα δέ.

sos canticis cum pueris puellisque, usque dum illos excito¹. Itaque non matutina sed vespertina cantica cogitantur haud secus atque in Pindari verbis (*ὑποκουρίζεσθαι αἰοδαῖς*) quibuscum fragmentum nostrum scholiasta comparat. Loqui Danaus videtur ad sponsores vel potius ad sponsores caduceatorem promittitque filias suas blandas et mites adfore quippe quibus conciliandi sponsi sint per cantica puellarum puerorumque. At simul vide quam argute ipsam stragem promiserit Danaus, solebant enim cani epithalamia talia *ἕως μέσης νυκτός* (Schol. Theocr. 18 init.); igitur Aegypti filii illis verbis perceptis cum usque ad ipsum mane (*ἕως ἐγείρονται*) in suum honorem ea ut extendantur exspectent, *ἐν μέσῃ* potius *νυκτί* per filias sicarias eos excitaturus est doli ille machinator.

Quod nisi falsam hanc lectionem dicis, consecrarium est non ultimam Danaidas fuisse tragoediam, quia ipsae nuptiae in ea caedesque praeparantur; nam id certe nunc prorsus absurde diceres, fluxisse fragmentum ex narratione Danaï in tertia tragoedia de iis instituta quae inter alteram ac tertiam acta fuerant. Sin autem secundo loco stabant Danaides, quid de Aegyptiis dicendum est, quid de *Θαλαμοποιῶς*?

Atqui ne in secunda quidem fabula chorum Danaides efficere poterant, si in ea nuptiae caedesque non solum praeparabantur sed agebantur quoque. Id autem (quod Hermannus contendebat) tantum abest ut refutari possit, ut maximam per rerum naturam habeat veri similitudinem. Nam una quae praesto est comparatio fabulae tripartitae, Orestiam dico, diserte commendat ut in primo quidem dramate tragici facinoris causas praedoceamur (Supplices, Agamemnon), in medio facinus ipsum perhibeatur (Choephoroi), in tertio sceleris aut expiatio aut supplicium (Eumenides). Fortasse nimis monstruosum illud facinus dices: at hoc quid refert quoniam non perpetrabatur in ipsa scaena sed narrabatur perpetratum? Contra si inito caedis consilio secunda fabula finiebatur, nonne stupefcere debebant spectatores et stomachari ante rem actam ubi summo timore et expectatione penderent, tolli aulaeum?

Pensitemus etiam hoc. Constat enim machinationum artificem Aeschylum prudentissimum fuisse quique oculos spectatorum aspectibus novis mirum quantum delectare calluerit; certe non prudenter ille egisset si choreutarum adhibuisset easdem personas ad duas vel etiam ad tres (tres enim cogitat Krusius p. 16) eodem die quas docebat fabulas! Velim mecum dubites hoc dignum pu-

¹ Nam obiectum *τοὺς νυμφίους* ad *ἐγείρω* nunc facile supplebimus.

tare arte Aeschylea, neque enim firmari exemplis poterit, immo varietatem summam appetiit cum coniungeret Phineum Persas Glau- cum, Edonos Bassaridas Neaniscos, Agamemnonem (senes in choro) Choephoros Eumenidas¹; ideo Welckerus (Aesch. Tril. Prom. p. 59) cum et in vincto Prometheo et in *πυρφόρω* chori partes Oceanidas egisse falso statuisset, varietatis defectu ita ipse offende- batur ut diverso saltem ornatu deas incessisse diceret.

Cumulantur difficultates; superest clarissimum illud Danaidum fragmentum ex Veneris oratione excerptum (Athen. XIII p. 600), atque ad iudicium absolutionemque Hypermestrae orationem istam pertinuisse non sine specie veri consentire omnes video. Itaque cognoscis Danaidum quantus fuerit ambitus. Relabimur enim ad eam argumenti amplitudinem quam Hermannus (Op. II p. 324) his verbis castigavit 'Quis facile sibi persuadeat (pugnam) nuptias cae- dem iudicium perpetratae intermissaeque caedis una potuisse tra- goedia comprehendere? Immo satis erat, iudicium institui'. Sed rogo iterum, haec si ita sunt, quid de Aegyptiis dicendum est, quid de *Θαλαμοποιῶς*? Ecce labyrinthus viarumque error inexplicabilis. Tamen in penitissima intrasse mihi videor cernereque Minotaurum. Licet igitur non adsit Theseus, in discrimen tamen contra eum accingamur.

Titulus Danaidum ipse perversus est et inepte scriptus. Iuxta- ponuntur Supplicibus Danaides, accedunt aut Aegyptii aut Cubicu- lares homines: quae ista est divisio omni ratione destituta! Num Prometheidis prima fabula *Λεομῶτης*, altera audiebat *Προμηθεύς*? Nonne rideremus si quis Choephoros denominaret *Μητροκτόνον*, Eu- menidas *Ὀρέστην*? Dinumeraturus animalium genera piscibus avi- busque ipsane animalia addes? Denique num pars cum toto in unum computari potest? Ego certe facere non possum quin effla- gitem, si puellae illae in posterioribus quoque fabulis chorum duxe- rant, ut *Ἰκέιδας* sequantur aut *Νυμφιοκτόνοι* aut *Διαδικαζόμεναι*.

Nescio num cui videar sic profligasse laborem. Facile certe claram lucem recuperabimus hoc Aeschylei carminis filum si sequi- mur: *Δαναΐδες ἢ Ἰκέιδες, Δαναΐδες ἢ Θαλαμοποιοί, Δαναΐδες ἢ Αἰγύπιοι, Ἀμυμώνη σάτυροι*. Scilicet addebatur choreutarum no- mini universus ille prisca epici carminis titulus (quo Phrynichus quoque usus erat) complectebanturque totum trilogiae argumentum litteratores antiqui uno Danaidum nomine prorsus eadem ratione

¹ Atque etiam Thebaidem cum feminarum chorus concludat, in Oedipo adfuisse senes colligere possis ex Sophocleo exemplo.

quæ apud Aristotelem Poet. 18 tribus Aeschyli fabulis unum nomen *Προμηθεύς* substituitur (caveas enim ne pluralem huic loco imputes). Atque quia nomen hoc ad argumentum designandum aptissimum obtinebat¹, factum est ut Aegyptiorum fragmentum unum tantum legeremus, unum tantum *Θαλαμοποιῶν*, eadem de causa in fabularum catalogo iidem *Θαλαμοποιοί* omissi sunt².

Atque de hac Danaidum inscriptione si mihi non credis, credas Straboni. Hic enim apertis verbis scribit (V p. 221) *Αισχύλος δ' ἐκ τοῦ περὶ Μυκῆνας Ἄργους φησὶν ἐν Ἰκέτισιν ἢ Δαναΐσιν τὸ γένος αὐτῶν* (sc. τῶν Πελασγῶν). An obliviosum historicum memoriaeque incerta maluisse putas duarum fabularum optionem lectoribus dare? Res autem unice quadrat in Supplices, nimirum verba *περὶ Μυκῆνας* ipse Strabo addidit ut Argos Peloponnesiacos distingueret ab aliis, imprimis a Thessalia quae *Πελασγικὸν Ἄργος* audiebat. Concludendum autem est ex hoc Strabonis loco in secunda et tertia Danaidum fabula res Pelasgicas non amplius tractatas fuisse. Denique verum ipsum infeliciter obscuravit Hermannus cum scribi iuberet *ἐν Ἰκέτσι καὶ Δαναΐσιν*.

Iam remotae ni fallor difficultates omnes: ante initium secundae fabulae pugna cadit Pelasgorum filiorumque Aegypti, in qua Pelasgus imbellis rex periisse putandus est; Thalamorum curatores et haec narrant et canticis nuptiarum fata illustrent, ad eos pertinet fragmentum in scholiis Pindari servatum; in ultima fabula Aegyptii, hoc est Aegypti filiorum comites³ captivi (cf. e. g. Euripidis Troades) dominorum suorum exitium conqueruntur exuta ferocia perque malam fortunam placidi dignique orchestra invocantque Argivos vel deos Argivorum ut de Danao sororibusque vindicent necatos⁴, concurs cum iis Lynceus cum a fuga revertitur,

¹ Imitator iam Aristophanes in comoedia *Δαναίδες* inscripta.

² Pro his in catalogo *Δαναίδες* separantur ab *Ἰκέτισιν* et *Αἰγυπτιοῖς*: facili hoc errore fieri potuisse concedes, ita *Βάχαι* et *Πενθεύς* ibidem separantur quam unam fabulam esse Welckerus dixit. Duplex inscriptio etiam haec *Θεωροὶ ἢ Ἰσθμιασταί*, atque unam tantum earum exhibere solent grammatici.

³ Nimirum non sine comitibus advenerunt filii Aegypti magnum bellum parantes, ideo complures eorum naves esse Aeschylus memorat Suppl. 691 sq. Ceterum iam Ahrensius (Z. f. A. W. 1844 Oct. p. 4) Aegyptiis ultimum trilogiae locum tribuit, sed consilio alio.

⁴ Ad hunc chorum pertinent verba difficillima quae servavit Etymol. Gudianum p. 227, 37 (cf. Crameri Anecd. Oxon. II p. 448) quem locum ita adscribo *Ζαργρεύς, ὁ μεγάλως ἀργρεύων. Πότνια Γῆ Ζαργρεῦ τε . . . ὁ τὴν Ἀλκμειονίδα γραΐφας ἔφη. τινὲς δὲ τὸν Ζαργρέα υἱὸν Ἀιδου φασίν,*

intercedit Venus eiusque ideo orationis fragmentum Aegyptiorum fabulae adscribendum est.

Revertamur ad Ovidium, animum advertere non pauca iuabit. Et primum argumentum *Θαλαμοποιῶν* non male exprimere videntur quae de nuptiis legis epist. v. 23—78, hymenaeus vespertinus quem praeparari in fragmento supra tractato vidisti adest in verbis *Volgus hymen hymenaeae vocant* (v. 27). Neque quod *vino dubii gravesque sponsi dicuntur* (v. 29. 33), a ferocibus illis apud Aeschylum sponsis¹ abhorret (id quod sumere videtur Krusius p. 22 adn.); meminimus modo quae de ebriis apud Aeschylum obviis Welckerus disputavit (Nachtrag zur Schrift über d. Aesch. Tril. p. 161 sq.).

Mirabar cum primum attente Supplices legerem, cur Pelasgus rex in v. 925—930 subtiliter exponeret duo Danaïdibus domicilia parata esse, altera populi urbici, altera quae ipse sibi aedificasset 'non parva manu'; eorum utrisque aequae puellis uti licere. Quam rem iterum Danaus tangit v. 1009 sq. dicens: *οἴκησις δὲ καὶ διπλῆ πάρα· τὴν μὲν Πελασγός, τὴν δὲ καὶ πόλις διδοῖ οἰκεῖν λατρῶν ἄπειθεν· εὐπετῆ ἰάδε*. Vtramnam domum puellae praetulerint non additur. Sed ipsa partitio cur instituitur a poeta? Iterum adesto Ovidianus versus hic: *Ducimur Inachides magni sub tecta Pelasgi*. De sponsali agmine hic esse sermonem sequentia docent, patet igitur Aeschylum habitationem duplicem non frustra memorasse ad-dixitque in fabula secunda Danao sororibusque urbicam, Aegypti

ὡς *Αἰσχύλος ἐν Σισύφῳ· Ζαγρεῖ μὲν υἱῷ (τε νῦν μοι Cram. τε νῦν με Et. Gud. quae carent sensu) καὶ πολυξένη πατρὶ χαίρειν. ἐν δὲ Αἰγυπτίοις οὕτως αὐτὸν [διὰ] τὸν Πλούτωνα καλεῖ τὸν ἀγραῖον (?) τὸν πολυξενώτατον Ζῆνα τῶν κεκμηκότων*. Infeliciter haec a grammatico fabulas confundente proferri sumunt non ex Aegyptiis, sed ex Supplicibus (v. 136 sq.); scilicet ipsum nomen *Ζαγρεύς*, propter quod unum verba citari poterant, abest a Supplicibus neque ibi illud inferre adhuc contigit cuiquam (cf. Krusi notam), quare multo etiam magis Hermannus peccavit. Restat hoc ut in ultima trilogiae fabula Aeschylus ex prima verba fere integra repetiverit. Quod licet permirum sit, non omni tamen caret explicatione, nam Supplices verbis illis Oreum vocaverant suspensio se morituras esse affirmantes si nubere fratribus cogerentur; itaque si quid video, chorus Aegyptiorum sub finem trilogiae ipsa illa Danaïdum verba mortifera hoc uno consilio adhibere poterat sollertissimo ut mortuas nunc revera eas esse diceret malignus promissaque illa suum exitum habere spectatores sentirent. Atque non video ego tali περιπέτειᾳ quid refragetur.

¹ *πίνοντες ἐκ χρῆσῶν μέθου* dicuntur Aegyptii Suppl. 920.

vero filiis arcem Pelasgi ut haberet unde et quo nuptialem pompam duci fingeret, arx enim debebatur victoribus. Vides igitur rem scaenicam Nasonem non leviter curavisse.

Plures similitudines requirenti ostendere hanc possum: nam in Prometheus Aeschylus v. 867 Hypermestram dicit praeferre alterum alteri malleque imbellem audire quam caede inquinatam (*κλέιν ἀναλκις μᾶλλον ἢ μαιφόρος*); simillime apud Nasonem (v. 7 sq.): *Esse ream praestat quam sic* (hoc est, *quam scelus ausam*) *placuisse parenti, Non piget immunes caedis habere manus.* Itaque protulisse Aeschylum talem in Danaidibus quoque sententiam veri simillimum est. Item quod Prometheus dicit *ἀπαμβλυνθήσεται γνώμη*, illustratur hoc Ovidi versibus maxime 37—50.

Non vero in scaena Hypermestra amore se mulceri (*ἡμέρω θέλεσθαι* Prometh. v. 865) dicebat: huius rei testis sincerus Aristophanes, subvenit Propertius neque non noster Ovidius; sed crimen tantummodo expavescebat, obtemperabat pietati. Alia enim res est narrare amorem, alia ipsam amantem deque amore suo loquentem in scaenam inducere: illud non infrequenter Aeschylus faciebat (cf. Ius amorem Prometh. 640 sq. Cassandrae Agam. 1202 sq.), hoc neque volebat neque valebat. Et quidem necesse erat pro nobilitate cothurni Aeschylei eam quae alias amans fuisse dicitur, ubi primas in tragoedia partes actura est, iam non cupiditati suae inservire sed sententiae morali. Amari fortasse se dicere puellae licebat, se amare non licebat.

Atque quomodo amorem talem Aeschylus illustraturus fuerit ex ipsis ni fallor Promethei verbis extricabis: postquam enim l. l. amore mulceri puellam dixit, nonne consequens esse debebat ut pergeret: *δυοῖν δὲ θάτερον βουλήσεται, κλέιν ἀναλκις μᾶλλον ἢ κανεῖν φίλον*? Ita non perrexit, sed sententiam eam moralem et generalem praetulit quam repetitam a Nasone invenimus: *κλέιν ἀναλκις μᾶλλον ἢ μαιφόρος.*

Accedit causa quae dicitur interna, sita ea in ipsa totius fabulae explicatione et exitu, consentaneum est enim in fine demum trilogiae intercedente Venere veras nuptias inter Lynceum puellamque conciliari, ideoque non minus consentaneum salvo ibi pudore illam, quamquam nuptiae eorundem iam praecesserint in ipsa secunda fabula, necdum resolutam amore cum fratre coniungi debere. Quodsi in secunda fabula *ἡμερος ξυνένον* fuisset descriptus, de castitate vereretur Athenienses ut credidissent poetae. Ad feriendum autem ipsum thalami foedus regale unde Perseus et Hercules originem ducturi sint, ipsam deam Venerem poeta advocat, itaque amor

cuius vim in animo sitam humano describere fugit Aeschylus, nunc demum cothurnatus potius personatusque scaenam perambulat de caeli terraeque conubio *μυσικῶς* perorans. Hoc enim maxime perpetrandum Veneri erat, ut conubio inter fratrem et sororem Graecis moribus contrario veniam pararet, quod ipsam quoque Hypermetram reformidasse et horruisse certum est ex Supplicibus. Itaque etiam hac via eo devenimus ut amorem eam nullum, sed facinoris tantum aversationem ostendisse cum Lynceo parceret postulemus.

Vnum restat in epistula Ovidiana ex quo odorari Aeschyleam originem mihi videar quam maxime manifestam. Subito enim inde a v. 85 incommoda sua missa facit heroine perque versus viginti quattuor, hoc est per quintam fere partem totius epistulae Ius aviae perhibet transformationem et fugam miserabilem. Pervestiges reliquas omnes epistulas, licentiam tantam admissam invenies nusquam. Atque iure abreptum ipsum Scaligerum dico ut aliunde intrusos istos versus esse contenderet adsentientibus Dan. Heinsio Vlitio Lehrsio (ad eandem Riesius sententiam inclinat), nam futilia contra disputavit Lennepius Loersio plaudente. Examines vero vinculum quo in sermonem haec fabulatio immittatur, versus est 85: *Scilicet ex illo Iunonia permanet ira, Quo bos ex homine est, ex bove facta dea.* Itaque ex vetusta Iunonis ira qua olim Io laborabat suam quoque puella calamitatem repetit. Tragicum hoc cogitatum esse unus quisque videt, simul vero ex more Aeschylei cothurni canticorum amantissimi ut magno atque epico ornatu persequatur cogitatum poeta. Itaque excursus ille non interpolatori debetur sed Aeschyli aemulatori. Ira Iunonis prorsus eadem ab ipsis Supplicibus canitur v. 144 sq. (= 157 sq.): *O Iuppiter, contra nos* (quae fraterni matrimonii odio ad letum propellimur) *contra nos ira de Io caelestis investigatrix est; Iunonis enim uxoris tuae odium agnosco quo vincitur Olympus.* Etiam in magno illo cantico Suppl. 509 sq.¹ in quo puellae salutis spem sibi excitant comparatione Ius quam post mala incomparabilia comis Iuppiter atque propitius tetigerit, non tamen ipsa ira Iunonis omittitur, sed ad eam subeundam gens tota dicitur procreata (v. 571 sq.: *τίς γὰρ ἂν κατέπαυσεν Ἥρας νόσους ἐπιβούλους*). Itaque in Aegyptiorum quoque fabula Hypermetra ut se iam iterum per Iunoniam iram miseram vagam exulem (cf. quae diximus p. 418 in .adn.) esse di-

¹ Ad ipsum illud Aeschyli in Supplicibus canticum iam N. Heinsius elegantissimi iudicii vir Scaligeros revocavit.

ceret fere necessarium fuit, aut chorus fortunam Hypermostrae hunc in modum commiseratus est. Inde simile suscepisse Ovidium conicio ¹.

Praeterea nonne iure Welckerus Aeschyleum putavit etiam hoc (v. 79): *Danaus generos ex caede iacentis Dinumerat?* Nonne acumen illud in v. 31: *In thalamos lacti — thalamos sua busta — feruntur* facile tribues choro *Θαλαμοποιῶν?* Audacia quoque illa in v. 116—122 insueta neque accommodata elegiacis nostris, qua periisse undequinquaginta sorores dicuntur unusque manere frater eo sensu ut vivant quidem illae sed amori Hypermestrae perierint (nam vivere eas ex v. 15 sq. concludendum), austeritas haec inquam sermonis, qua verus sensus obscuratur, nonne bene sit si praeformata fuerit tragico exemplo?

Denique sicut in Deianira reliquisque epistulis ampliasset rem Ovidium vidisti, ita in Hypermestra quoque additamentum aliquod ²

¹ Singula tamen liberius Nasonem explicare oportebat, quoniam vix quidquam magis diversum a melica Aeschyli arte est quam elegia Ovidiana epigrammatico lusu plena. Quomodo perpoliverit exemplum suum imaginari fere poteris comparans Suppl. 566 sq.: *χλωρῷ δέματι θυμὸν πάλλοντ' ὄψιν ἀήθη, βοτὸν ἔσορῶντες δυσχερὲς μιζόμενοι, τὰν μὲν βοός, τὰν δ' αὖ γυναικός· τέρας δ' ἐθάμβουν* cum Ovidi v. 97: *fonte bibis spectasque tuam stupefacta figuram*, aspicitur itaque apud alterum a stupefactis circumstantibus, apud alterum a se ipsa stupefacta. *Furens et insana* Io dicitur apud alterum, apud alterum *μαινομένη* et *θυιάς*. Audacissime apud Ov. 108 ipse Nilus insanae puellae ora bovis exuere dicitur: an chorici carminis agnosces audaciam? Ibidem quod mirum in modum *bos-paelex* quasi una voce Io vocatur, tragicumne audire videris 'verba componentem' qui fere *ταυροπαλλαχὴν* eam vocaverit velut *ταυροπάριθενον* Lycophron (v. 1292)? Nimirum *insanae* in v. 108 dativus. Sed enim ad ornamenta ista potius Calvum Naso adiit, si quidem in loco qui concinit cum nostro Met. I 567—666 verba: *et amara pascitur herba* (v. 631) sumpta ex Calvianis sunt p. 409 adscriptis.

² Fini epistulae elogium puellae Ovidius inseruit v. 129 quod idem fecit in ep. II et VII, atque hac re memorem cum fuisse probatur Horatiani quoque carminis III 11 quod concluditur verbis: *i secundo Omine et nostri memorem sepulcro Scalpe querelam*, non minus aperte Ov. v. 73 adsonat ad Horati v. 37. Atque elogium cum apud hunc scalpatur, sculpatur apud illum, alterum ex altero magna cum probabilitate corriges; verum Ovidium servavisse probatur titulo C. I. L. III 21 hexametrico, cuius notitiam Buechelero viri clarissimi humanitati debeo, quippe in quo Horatiana memoria compareat: *Vidi pyramidas sine te dulcissime frater Et tibi quod potui lacrimas hic maesta profudi Et nostri memorem luctus hanc sculpo querelam*. (Ex verbo *querela* apparet antiquos pro eadem

monstrari potest; bellum enim inter patrem et patruum (v. 111) alienum ab Aeschylo omittere noluit, id quod tenendum est versus 53—66 contemplanti; hic enim praeclara diverbia legis interposita stichomythiae Graecorum mirum quantum similia, atque haec aut in naturam eleanorum aut in horum poetarum consuetudinem minime quadrare vix quisquam negabit (diversum enim est Catulli cum ianua colloquium). Cogitari igitur potest succrevisse haec quoque tragicam artem aemulanti (modo anxiam tibi Hypermestram finge thalamos relinquentem cumque choro colloquentem semper prono in obsequium), tamen liberius haec composita esse produnt versus 61 sq.

Iam breviare licebit quae disputavimus. Examinantes Phaedram Deianiram Medeam cognovimus tragicorum carmina expressisse Ovidium et certa hac in re uti solitum esse ratione; quia plerasque heroidas apparebat fluxisse non e mythographis sed ex poetarum exemplis, etiam quae restabant elegias indidem fluxisse videri oportebat (mythographorum lectio nimirum ad tantam hoc in genere ubertatem nunquam excitavisset poetam); visum igitur perprobabile est atque aliis causis additis etiam certi simillimum Hypermestram imitationi deberi Aeschyli. Ex hac imitatione explicatum suum acceperunt quae non satis aequabiliter vel insolentius scripta in illa deprehendimus. Itaque et fontis similitudo et compositionis persuasit nobis hanc epistolam ut non minus confidenter quam reliquas Nasoni adscriberemus adolescenti¹. Sicut Vergili et Tusci auctoritate ad Dido et Phyllidem, ita ad illam scribendam incitari poterat studiis in Aeschylo versantibus Propertiani illius amici, modo cum hoc aequae ac Propertio Ovidium sodalicio coniunctum fuisse iure sumamus.

Sermonis colores Ovidianos esse in ep. XIV vix est quod moeam; ita e. g. *praepedire* et hic (v. 18) et in Tristibus (I 3, 42), clausula v. 35 revertitur Met. VII 838, v. 113 in Met. XV 585,

voce accepisse, id quod hodie constat, elogium et elegiam; nam *elegeia flebile carmen* ep. Sapphus v. 7 et frequenter.) Ceterum Horatius amantem Hypermestram reddidit, quippe Lyden ut amaret neve nuptiarum expers maneret maritoque cruda incitaturus.

¹ Nec tamen nimis eam placuisse Nasoni ipsi dico. Nam quod superest ad collocationem heroidum ut attendas, trium librorum unus quisque finitur quidem fabula epica (5. 10. 15); tragicarum fabularum ita rescunt ut liber III habeat quattuor, II tres, I unam; Sophoclearum loca vicina non casu facta putabis (8. 9); denique in ultimum locum una Aeschylea magisne redacta ut legeretur an ut neglegeretur?

dede neci (v. 125) in Fast. IV 840, *credibile est* (v. 58) in Amor. III 1, 2, *nudus* bis positum (v. 100) in Met. IV 261, *populus fratrum* (v. 115) cf. cum *populo sororum* Her. 9, 62. Audacior loquela in v. 29 *comitum clamore frequentes* firmatur versu Her. 12, 143, et *Hymen clamant Hymenque frequentant*; nam etiam Hyp. v. 25: *undique conlucent praecinctae lampades auro* eodem loco exprimi videtur (12, 138): *et accenso lampades igne micant*. Atque sicut in Ariadnes memoriam ubi incidit, ex heroïde sua sibi verba promit (Ariadnes 123 = Art. Am. III 35, Ar. 96 = Heroid. IV 116, Ar. 16 = Art. I 529), ita Hyp. v. 91 sq. fere verbo tenus iterantur Met. I 636 sq.; ad Hyp. v. 49: *sed timor et pietas crudelibus obstitit ausis* leviter certe adsonat Art. I 73 et Ibdidis 353: *quaeque parare necem miseris patruelibus ausae* (cf. Properti V 7, 65), apertius Ibdidis 176: *exulis Aegypti turba cruenta nurus* ad v. 24: *nec socer armatas accipit ipse nurus*.

In quo autem offendit Lachmannus *potitur* (v. 113) longa i vocali posita, priscus hic usus etiam magis offenderet apud scriptorem aetatis argenteae; optime Muellerus (Mus. Rh. VIII p. 87) contra Lachmannum infinitivum *moriri* protulit ex Met. XIV 215 in eadem hexametri sede collocatum (nam de hac lectione dubitare otiosum est), addo per Amores omnes epistulasque a prima ad XIV numquam praeter nostrum locum ipsum potiendi verbum usurpasse Ovidium ita ut ne inconstans quidem his in carminibus fuisse dici possit. Denique pentameter ille (v. 62) molestus quidem: *quae tamen externis danda forent generis*, sed semel inreperere potuisse talem in primum poetae opusculum offirmate negari nequit; immo novimus iuvenis Ovidi versum etiam alterum eodem fere vitio terminatum hunc: *cur ego non dicam Furia te furiam* (Quintilian. IX 3, 70).

Hic finis esto. Absolvere rem non valuimus, sed hoc fortasse ut absoluturos excitaremus.

Appendix. Coniecturam proposuimus p. 399 in adn. 2 (cf. p. 410 adn. 2) Sapphus epistolam Ovidio falso adscriptam ex imitatione fluxisse exempli Callimachei. Videndum est num Callimachea supersint ea quibus commendetur; quo in munere si audax nonnunquam videbor, laudabor: virtus enim haec in naufragiis. Itaque comparare iuvabit frg. Callimachi 298 Schn. *Κρήνη λευκὸν ὕδωρ ἀνέβαλλεν* cum epist. v. 157: *Est nitidus vitroque magis perlucidus antris* (hoc latebat, male enim loci mentio omitebatur) *Fons sacer* (fortasse huc pertinebat etiam frg. anon. Schn. 8 vel 49). Iuvabit comparare frg. Call. 521: *Κούρη δὲ παρέϊκτο δεκρυ-*

χέουσα cum ep. v. 161: *Ἦic ego cum lassos posuissem flebilis artus*; item frg. 242: *Γράμματα δ' οὐχ εἰλισσον ἀπόκρυφα [Πηγασίδες μοι]* — nam *εἰλισσον* facile ex Ammonio restitues — cum latinis versibus 27 sq.: *At mihi Pegasides blandissima carmina dictant: Iam canitur toto nomen in orbe meum.* (*Pegasides* et Propertius IV 1, 19 et Ovidianus hic poeta sine graeco exemplo scribere vix poterant, velut *undas Pegasidas* Ovidius ipse cecinit Trist. III 17, 15 concinente Moscho III 78 et poetis Anthol. Pal. 9, 230. 11, 24.) Porro Callimachus scripsit (frg. 150): *Πολλάκι καὶ κανθῶν ἦλασ' ἄωρον ἄπο*, haec enim Hemsterhusi correctio pro vitiosis *ἦλασα ὦρον ἄπο* et lenissima et verissima est, quod accuratius inspecto Etym. Magno (p. 117, 8 sq.) facile intelleges. Homericam ibi explicatur glossa *ἄωροι* his fere vocibus (similia habes in schol. Odys. μ 89): *ἀσθενεῖς δυσφύλακτοι ὠμοὶ δυσόρμητοι* pergiturque infra: *Καλλιμαχος δὲ κατὰ μετᾶλψιν τοὺς ἀγρόους . . . ἢ τοὺς ὀρούοντας*, itaque haec omnia de adiectivo *ἄωροι* dicta servant fere numerum pluralem (semel miro modo inseritur: *οἱ δὲ τὸν μέγαν φασίν* . . .), quare separanda ab his sunt tamquam aliunde intrusa quae intermissa leguntur de substantivo *ἄωρος* singularem servantia. Haec restituenda fere sic: *ἄωρος ὦρος καὶ ἄωρος κατὰ πλεονασμὸν τοῦ Α* . . . *ὦρος γὰρ ὁ ὕπνος* eqs. quae tendunt usque ad *ἐνθεν καὶ παρὰ τοῖς Λατικοῖς οἱ ὦροι*. Sed haec si aliter haberent, satis pateret ex verbis *ὦρος γὰρ ὁ ὕπνος* hic non explicari *ὦρος*, sed explicanti servire; vix operae pretium conferre quae similiter leguntur s. v. *ἄμμορον ἄμμος γὰρ ὁ θάνατος*, s. v. *ἀσάλῃς ἄσάλη γὰρ ἡ φρονίς* (et quidem *ἄσάλη* non minus rarum quam *ὦρος*). Copulantur autem *ὦρος καὶ* ('etiam') *ἄωρος* veluti p. 433, 50: *ἀπεροπείς οὖν καὶ ἡπεροπείς*, ubi posterior tantum vox exemplo illustratur. Itaque *ἄωρος* pro *somno* a Callimacho positum ignoratur praeter unum Sapphonis versum quem ipsum simul exhibet Etym. Magnum. Quod si hanc ille spoliavit (id eo credibilius quia idem in Homericam glossam *ἄωροι* inquisivit), hoc apte certe faciebat in amore illius narrando; in epistulae autem v. 123 sq. fruitur amatoriis somniis puella ita ut *vigilent sensibus ora*, postea in silvis sola cum una luscinia cantat: *hactenus ut media cetera nocte silent* (v. 156; hoc est, huc usque cetera silent quasi media nox sit; indigne enim *in* scripserunt pro *ut*, nam dies est inde a v. 135). Itaque poterant Callimachea ita haberi: *Πολλάκι μὲν θέλγων μιν ἐναργέειν ἡμερος ὕπνοις Πολλάκι καὶ κανθῶν ἦλασ' ἄωρον ἄπο*, attendasque sicut *πολλάκι* duplex fuisse videtur, ita etiam ep. v. 125 sq. a voce *σαερε* incipere his posita. Porro poterat dici de Sapphone: [*εμεῖνη*] *θιβρῆς Κύπριδος ἀρμονίης* (frg. 267 cf. ep. v. 191), poterant illius cum puellis consuetudinem (ep. v. 201 et 19) criminari *κηκάδι σὺν γλώσση* (frg. 253). Canere desierat, itaque non male de ea: *Ἄλλ' ἔτ' ἀκουὸς οὐκ ἔσχεν* (frg. 236). Phaon carmina eius olim amabat (ep. v. 193 sq. 32—42), nunc negligit: *Μουσέων κείνος ἀνήρ ἀτέει* (frg. 537). Sed leviora ista; iam vero scis multa quae in grammaticis lexicographis sine nomine citantur ab Homero aliena, et facile trahi posse et certa haud raro coniectura tracta esse ad Callimachum (adeas "fragm. anonyma" quae euriose composuit Schneiderus sub finem Callimacheorum, cuius numeris utar

ne spatiosior sim). Ex quibus adscribo haec: *Ἥμος δ' ἠεροπῆας ἀπειποίησεν ὀνείρους ἥλιος ἀνοχών* (Schn. 93) quibus respondent ep. v. 135 sq.: *At cum se Titan ostendit et omnia secum, tam cito me somnos destituisse queror*. Non male haec exceperunt frg. illud Call. 150, nisi ei adiungere praeferes Diltheyum secutus (Cyd. p. 71 adn. 2) ex Suida verba adespotata: *οὐδ' ὄσσον ἀηδόνες ὑπνώουσιν* quibus patrocinari forsitan videatur Dauias ales in ep. v. 154. Cum ep. v. 45: *omni tibi parte placebam* cf. Schn. 92: *ἄδον, φίλον ὡς κεν ἄδῃσι*. — In excelsio monte Phoebus Leucadius habitat (v. 165), hoc est ἐπ' οὐρέος ἀμβώνεσσι (Schn. 70), id quod varians poeta scripsisse deinceps potest quod Suidas exhibet *ἡλιτενῆς πέτρα· ὑψηλή* — sed enim vetusta haec corruptela; scribas *ἡλιπετῆς πέτρα*, cui contrarium (ὀδός) *εὐπετῆς*, sicut *ἡλίβατος*, cui contrarium *εὐβατος*, explicatur in Et. Magn. p. 427, 40: *δύσβατος καὶ ὑψηλός (ἡλίβατος πέτρα* Homer. Il. O 273). Praecipitium aliquod spectatur etiam in glossa apud Suid. II 2, p. 25; quem locum ita emendes: *παλιμβαλῆς· ὁ ἄνω κάρα πεσών, ὁ ὑπτιος* (nam ὁ πρηγῆς idem atque ὁ κάτω κάρα πεσών). Ad *furialem Erichtho* in ep. v. 139 adsonat *ἄθεστος Ἐριχθῆς* (Schn. 143); sed graecum istum versum qualem fuisse tibi finges? Iam vero legitur in Etym. Magn. p. 561, 54: *Λευκαρίων· Λευκαλίων καὶ καθ' ὑπερθεσιν* (vel *ὑπερβιβασμὸν*) *Λευκαδίων· καὶ Λευκαδίων τροπή τοῦ Δ εἰς Ρ Λευκαρίων* (ita enim aperte scriptum fuit), atque in Etym. Florent. etiam poetae alicuius verba adferuntur (Schn. 130): *Λευκαρίων· οἶον Πύρρα ἢ Λευκαρίων· Λευκαλίων*. Tenerene videbimur unde orta sit inaudita illa fabula de Leucadio saltu Deucalionis, quae quo magis pugnat contra sollemnem fabulam, eo minus excogitari poterat ab ipso Neroneo poeta? Rarissimum viri nomen *Λευκαρίων* indagaverant Alexandrini (fortasse circa Ambraciam, fortasse in ipsa Lesbo) eamque explicaturi varietatem quae facile tribuebatur litterarum *ὑπερβιβασμῷ*, nova haec aut eruebant aut fingeant de Leucadio Deucalione. Quae res inter poetas Callimacho profecto aptissima, qui idem metonomias memoravit e. g. fluvii *Ἰμβρασος* vel *Παρθένος* (frg. 213 quo duce ludere possis *Ἀντὶ δὲ Λευκαρίων ἐκλήθη Λευκαλίωτος*) quique etymologias in Aetis sine dubio non minus captab atquam Ovidius in Fastis Propertiusque (eleg. V 2). Quare non male videlicet Callimachi esse Schneiderus coniecit verba illa poetica: *Πύρρ' ἢ Λευκαρίων* quae vario modo in nostram rem verti poterunt, malis fortasse: *Πύρρ' ἢ Λευκαρίων[ος ἐρωμέν]*. Neglegens autem forem si praetermitterem haec; scribit Sappho: *muta dolore lyra est. Quid mihi cum Lesbo? Vilis Anactorie* eqs. (v. 198. 52. 17), scilicet *τῶν πάντων δ' ἐπιτσε πούλδ κάτω* (frg. an. 260). *Huc ades* (v. 95 cf. 213) = *ἐμπα γε μὴν ἴθι δεῦρο* (frg. 267). *Filia vivit* (v. 120. 70) *τὴν μὲν ἐγὼ θαλέεσσι ἀνέτρεφον* (frg. 31, certe non ovem hic aut suem sed hominem spectari vincitur Hom. Il. 9, 143. 285). Poterunt aliquo modo huc referri etiam frg. anon. Schn. 5. 10. 22 (cf. ep. v. 205). 23 et 160 de Phaone 156. 171 (cf. v. 48). 212 (cf. v. 23). 259. 216? minus 166. Denique his frustatim compositis si quis fidem habeat, apud Callimachum quoque dicet poetriam adisse fontem numerosasque ibi querelas edidisse, tum *μὴν τῶν νυμφῶν* narraſſe ei amorem Deucalionis. Addenda habebit atque magis etiam subtrahenda qui hanc in rem plus temporis impenderit; tamen addo apud Maximum Tyrium (XXIV p. 472) quod eadem leguntur atque in nostra epistula (v. 33 et 35) *non pulchram Sappho esse quippe brevem et fuscam*, hanc certe epistolam illum non consuluisse. Coniunctae fortasse fuerunt cum saltu Sapphus et Deucalionis filiae Cecropis e rupibus praecipitantes (frg. an. 281). Omisi supra ad frg. an. 92 addere interpretationem, intellegi enim ita poterit: *placebam, amatori deliciae suae ut placere solent*, *φίλον* enim blande dicitur amatus, ut Aristoph. Eccles. v. 952 cf. v. 970 et *γλυκύτατον* v. 1046.